


BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

1.167

989.2





IOANN.  
COCHANOVI  
ELEGIARVM  
Libri III.

EIVSDEM  
FORICOENIA

*Sive*

Epigrammatum  
libellus.



C R A C O V I Æ,  
In Officina Andreæ Petricovij, S. R. M.  
Typographi. Anno Domini  
M DC XII.

7.401

## Ad Lectorem.

**S**i quis eris lector nugarum fortè mearum,  
Nōstra vel ignoto Musa dicata tibi est.  
**H**oc satius duxi, quām longo carmine amusos  
Affari, & surdis obstrepere auriculis.  
**Q**uis contrà sannas igitur me muniet heros?  
Scriptorem insulsum, qualē ego me esse scio.  
**N**on Ajax clypeo, non texerit ægide Pallas,  
Quo minus è nasis pendeat indomitis.

IO. CO.



XVII - 1167 - IV

# Io. COCHANOVII

## Elegiarum liber I.

### ELEGIA I.



ON me, si modò sum, Musæ fecere  
pôétam,  
Nec memini Aoniæ rupis adisse specus.  
Solus amor docuit blandos me fingere  
versus;

Et canere antiquo consona Callimacho.  
Ille deus segnes animos, et inertia corda,  
Ingenium torpens, excitat ille deus.  
Quid nisi cornigeras deses paucis iuuencas  
Dicitur Idæis vallibus ante Paris?  
Vt semel incaluit peregrino captus amore,  
Deseruit sylvas, deseruitq; boues.  
Et classem instruxit, vastiq; per æquora ponti  
Longinqua Eurota nauit ad usque vada.  
Nec prius armifera ceßit Lacedæmone, quam te  
Deluso raperet, Tyndari pulchra, viro.  
Tum quoque, cùm Phrygios vastaret Græcia campos,  
Fortem illum è medio sustulit Aeacidem.  
Aeacidem, celæ qui circum mœnia Troiæ  
Traxerat Aemoniis Hectora nuper equis.

Non Ioue nata quidem est, sed forma Heroidas aequalis,  
 Quæ torpere meum non sinit ingenium.  
 Illa mihi tantum consuetas prebeat aures,  
 Alter ego Amphion, et Linus alter ero.  
 Nec verò promptum est mihi dicere, quam bene clava.  
 Conueniantue humeris Gnosia tela meis :  
 Illa tamen iubeat, seuas ego strenuus hydras,  
 Ilicet audaces aggrediarq; feras.  
 Et mala Hesperio rapiam seruata draconis,  
 Et tria Tartarei colla domabo canis.  
 Tu patriæ exemplo fines tutare paterno ,  
 Christophore, Arctoi spesq; , decusq; soli.  
 Inuictoq; animo testare, et fortibus ausis ,  
 Illius patris sanguine te esse satum :  
 Qui Starodubæas euertit funditus arces ,  
 Qui vicit Dacos, perdomuitq; Scythas.  
 Me crudelis amor inuicta compede vinxit ,  
 Et dominæ duro traxit imperio.  
 Illius præscripto agitur mihi noxq; , diesq;  
 Hinc bona dependent, hinc mea cuncta mala.  
 At vos, carminibus quicunque putatis amorem ,  
 Et magicis solui posse veneficiis :  
 Huc omnes herbas, huc omnia ferte venena ,  
 Quæ Pindus, quæ Othys, quæq; habet altus Eryx.  
 Tam formosa mihi nisi definat illa videri ,  
 Nil herbae, nil me vestra venena iuuent.

LIBERT.  
ELEGIA II.

HOC Dodonæas tibi dicere crede columbas,  
Non semper, Barse, expedit esse probum.  
Quisquamne illicitos Phœdræ tibi Gnosidos ignes,  
Aut miseri fatum rettulit Hippolyti?  
Illam neglecto testatur fama pudore,  
Mentem priuigni sollicitasse sui.  
Sapè virum absentem cupiebat flere videri,  
At præsens fletus illius autor erat.  
Sapè nemus petuit, non tam studiosa Diana,  
Quam Veneris, formosiq; adeò Hippolyti.  
Seu lux alma venit, luctus venit inter agenda,  
Seu nox atra redit, peruigilanda redit.  
Quid tacitos celas furibundi pectoris æstus?  
Tu licet usque tegas, flamma latere nequit.  
Quin potius blandis tentas præcordia verbis,  
Non illum Tygris, non lea sœua tulit.  
Et tibi adest facies multorum obnoxia votis,  
Quaq; frui, nisi sit rusticus, ille velit.  
Nec primus generis contemnet inania iura:  
Olim iam exemplo cœlitum ista licent.  
Sed caue committas cuiquam tua vulnera seruo,  
Credula: ages causam tutius ipsa tuam.  
Exitus in dubio est: si quid tua vota vacillant,  
Fama utcumque tibi saluamancere potest.

## ELEGIARVM

Ergo ubi succubuit cæco vesana furori.

Nec potuit flamas exuperare suas.

Adsis, inquit, Amor: tuq; o pulcherrima Cypri,

Ad mea felicem da mihi vota viam.

Hæc effata, metumq; inter, spemq; anxia pendens,

Extremam laxat, corde tremente, forem.

Hic quo ceramodo, quoniam auri lamina pallet,

Sic ea tum viso palluit Hippolyto.

Nec regredi integrum, nec pergere protinus audet,

Sed velut effigies saxeæ fixæ stetit.

Excidit oblitæ meditata oratio lingue,

Languidaq; obrepens concutit ossa tremor.

Territus exiluit iuuenis, blandaq; morantem

Voce, satiñe essent omnia salua, rogat.

Illa autem cupidis medium complexa lacertis,

Nil aliud potuit dicere, præter, amo.

Sensit priuignus, quæ vox foret illa nouerçæ,

Sparsaq; per tacitas lachryma rara genas,

Et quæ te, o scelerata, inquit, stimulauit Erynnis,

Concipere ut tantum sis animo ausa nefas?

O caput execrandum, o dirum fœmina nomen!

Men' similem vestris moribus esse rata est!

Hæc satus miseræ manibus, se exoluit amantis,

Et neq; fletu ullo, nec prece viclus abit.

Quò fugis infelix? uni tibi fida nouerca est:

Læsa reuersura est hæc quoq; ad ingenium.

Et tibi

Et tibi constabit magno seruasse pudorem.

Flecte pedem, si quid sanus es, Hippolyte.

Ille fugae intentus stimulo terga vorget equorum,

Nescius ingratis quam sit acerba Venus.

Sed neq; Phædra fœuet solitos corde amplius ignes;

In rabiem, & cœcum versa ab amore odium

Fertur, ut occulto contactæ Menades astro,

Cum vocat in densum tibia rauca nemus.

Nec iam spretus amor tantum, sed territat agrans

Ira viri præceps, indicij metus:

Ipsa nocens igitur priuignum perfida fingit

Insidias patrio composuisse toro.

Credidit infelix Theseus, viclusq; dolore

Hippolytum patria cedere cogit humo.

Cedentem hostili prece deuouet: ô maris, inquit,

Arbiter, agnoscis qui meus esse pater:

Si promissa valent quicquam tua, quæ mihi terna

Debes delectu persoluenda meo:

Vnum ex optatis esto hoc, face, queso, scelesto

Vltima sit nato lux hodierna meo.

Audijs extremo Neptunus ab æquore flentem;

Et properata nimis vota rata esse iubet.

Vtq; leuem extremo ducebatur littore currum.

Immerito iuuenis tristior exilio,

Emergit pelago horrendo cum corpore taurus,

In salebras trepidas qui pauar egit equos.

*Axiſ ubi euerſus: iuuem, cūm hæſſet habenis,*

*Heu fuit in multis mors obeunda locis.*

*Atq; hanc iratæ pænam luit ille nouerçæ,*

*Et ſe digna parūm præmia caſtus habet.*

*Quanquam autem, Barſes, tibi non eſt uilla nouerca,*

*Non fruſtra tamen hæc dicta fuiffe puta.*

## E L E G I A III.

**N**ondum tanta meum ſubijt ſapientia pectus,  
Vt mihi grande aliquod crimen amare putem.

In terris nemo eſt, qui non amet: ille quadrigis  
Dici in Olympiaco puluere victor amat.

Hunc fasces capiunt, formidatæq; ſecures,  
Mars alijs cordi eſt, terribilesq; tubæ.

Quæ mare fulcandi infidum cauſa eſſet auaro,  
Si deſyderio non raperetur opum?

Quid venatorem, niſi amor prædeq; canumq;  
Aſpera prærupti per iuga montis agit?

Quin illi quoque virtutis qui ſe eſſe magiftrōs,  
Et virtutem utnam voce, manuq; crepan.

Hi, inquam, cenſeri gaudent quoq; nomine amantum.  
Exemplio illorum ut non ſit amare pudor.

Quodſi ex ijs aliquis, baculo, pendenteq; pera  
Ex humero, & barba conſpicuus tragica,

Pugnaces in me ſubitò conuersus elenchos  
Expediat logica ſtrenuus è pharetra:

Et mi-

L I B E R I.

Et mihi nescio quos animorum ructet amores,  
In quibus, id quod ames, tangere nulla via est:  
Huic ego non valde obsistam: ne cornua fronti  
(Quæ magia in verbis dicitur esse viri)  
Iratus nostræ affingat, præsertim Italorum.  
In cætu, quibus hæc pessima prodigia.  
Sed blanda oppugnabo virum prece torua tuentem,  
Ne priuare annum vere nitente velit.  
Sed teneras segetes viridi patiatur in herba,  
Mollibus ad solem luxuriare comis.  
Agricolæ fruges spica turgente daturas,  
Icarius cultos cùm canis vret agros.  
Interea comitabor amans tua castra, Cupido,  
Acres dum litui clasica nulla fremunt.  
Hastaq; & clypeo Mauors, galeaq; solutus,  
Cypridos in molli cessat & ipse sinu.  
Sic maneat quoq; terrasq; perambulet omnes,  
Aurigenam Plutum pax gremio alma ferens.  
Quod si tela deus paulum neglecta resumat,  
Et vocet indomitos rursus ad arma Scythes,  
Non male ab amplexu domine vel Martis amator,  
Ipsius exemplo prælia dura petet.  
Atq; vtinam, quando instaret certaminis hora,  
Speculatrix esset cuiq; puella sua.  
Nam fugere ex acie domina præsente quis ausit?  
Horrescatue mori, fors si ita dira ferat?

Hectora ego sortem, atque animosum credo fuisse,  
 Iliaca sed cum certus ab arce foret  
 Spectare Andromacham, tanto acrior ibat in hostem.  
 Laudari a domina posset ut ille sua.  
 Felix Priamide, cui pulchram occumbere mortem,  
 Penè ante ipsius coniugis ora datum est.  
 Illa tuo mastos concerpsit funere crines,  
 Et secuit duro flebilis cingue genas.  
 Vulneraque uberib. lachrymis crudelia lauit,  
 Osculaque exangui sèpè iterata tulit.  
 Imposuitque rogo corpus, cineremque supremum  
 Legit, et injecto condidit ossa solo.  
 Et seu sol caderet, seu surgeret, illa sepulchro,  
 Affixa assiduis perstigit in lachrymis.  
 Viribus inferior patior facile Hectorē dici,  
 Si mors optanda est, sic periisse iuuet.

## E L E G I A IV.

**T**VTamen, heu misera frustra obtestante puella,  
 Andrea, longas pergis iure vias.  
 Ne quicquam fugis: aerias Amor improbus Alpes,  
 Oceani vastos exuperatque sinus.  
 Tun obliuisci flauum potes improbe crinem  
 Lucentesque oculos, marmoreamque manum?  
 Et quoties nivea venit tibi candida planta  
 Menophile, obscura gaudia nocte ferens.

Quorum

Quorum sola vago radiantia sydera cœlo,  
Et specula testis Cynthia ab aëria.

Heu quam sàpè tibi somnos abrumpet inertes  
Clausa sub occulto pectore cura vigil.

Quàm sàpè abséntis delusus imagine formæ,  
Erroris recoleas gaudia vana tui.

Tum tu Medæ cupies concendere currum,  
Tum tu pennatum Bellerophontis equum.

Et cùm respicies emensas anxius Alpes,  
Chara, eheu, dices, nunc ubi Menophila es?

Concordes fato vivunt meliore columba,  
Quas placido abduxit nulla ab amore via:

Sed licet aduerso carpentib. oscula rostro  
Indulgere omni tempore coniugio.

Ah lapis est, lucro quisquis mutauit amorem:  
Me socium facti non habet ille sui.

Anne ego plorantem possim spectare puellam?  
Aut lachrymas siccis continuisse genis,

Cùm vasa mea oneraret quæstibus aures,  
Sauciaq; infesta tunderet ora manu?

Sim potius pauper, dum sim, mea Lydia, tecum,  
Cùm te habeo, cedunt omnia regna mihi.

Nam quò gemmarum splendor: quo vestis, & aurum?  
Quò cythara cantus, Ambrosiaq; dapes?

Si fugitiuus amor præcordia mordeat, & me  
Peior Tantaleo cura premat lapide.

## E L E G I A R V M

## E L E G I A V.

**N**olim te pudeat nostrissi quando libellis,  
 Tarnoui, nomen legeris ipse tuum.  
 Si mihi nec Theba, nec Pergama celsa canuntur,  
 Nec per fossus Athos, nec freta pulsa rotis:  
 Non me Castalio Phœbus tamen arcet ab antro,  
 Quia Mimmermae semita trita solo est.  
 Et mihi materna iam pridem è fronde coronam  
 Nectit deposita nudus amor pharetra.  
 Quod si sorte legas placido mea carmina vultu,  
 Et saueas Musis, ingenioq; meo:  
 Non ego desperem priscos Heroas in arma  
 Ducere, & Aonia bella sonare tuba.  
 Teq; adeò, qualem malefaustis Dacus in armis  
 Fugit Obertini per malefida vada.  
 Fugit Riphæo descendens vertice Moschus,  
 Auersoq; Scythes plus metuendus equo.  
 Nunc sine me, primus dum sidat in ossibus ignis,  
 Quà cæpi, cursus continuare meos.  
 Et procul à castris, procul à clangore tubarum,  
 Ebria nocturnæ signa referre fugæ:  
 At vos interea Phœbææ crescite lauri,  
 Nunc satis est myr tho cingere posse comam.

## E L E G I A VI.

Nemo

Nemo meo certet, quantumuis Cræsus, amori,  
 Quantumuis lato nobilis imperio.  
 Qualis enim, certamen equis incuntibus ingens,  
 Sedit in externis Hyppodameia rotis :  
 Qualis erat, pro qua cum semiferis Centauris  
 Impigras Lapithæ conseruere manus :  
 Aut quæ mortali Phæbum pugnare marito  
 Eueni ripas impulit ad patrias,  
 Aut quarum causa nunc fuluum Iuppiter aurum,  
 Nunc speciem tauri, nunc imitatus auem est :  
 Omnibus iis forma conferri Lydia digna est,  
 Et potius vincat, quam superata cadat.  
 Ora niuem referunt, aurum coma, lumina stellas,  
 Ipsa ingens priscas æquat honore deas.  
 Et siue inceſſit, risitue, loquituē quicquam est,  
 Præcinctam balteo Cypridis esse putas.  
 Fæmineas artes à Pallade docta videtur,  
 Et nihil est, quod non leui imitetur acu.  
 Pieridum cantu nulla est quæ gandeat æquè,  
 Fæmina Parrhasii nata sub axe poli.  
 Syrenam credas cantare, ubi voce canora  
 Miscuit Orphææ dulcia verbalyrae.  
 Omnes ex animo penitus iam deleo formas,  
 Diuersis memini quas stupuisse locis.  
 Huic, si quid blandum spirant mea carmina, debent,  
 Huic Latia, atq; recens Slaonica Musa canit.



## ELEGIAKVM

Hac ubi me niueis arctè est complexa lacertis,  
 Et gremio sedit non aliena meo :  
 Tum videor curru populorum victor eburno  
 Aurea Tarpeii scandere templo Iouis.  
 Tunc ego Pactoli rutilas lego diues arenas,  
 Tunc Arabum messes, aruaq; odora meto.  
 Hunc virinam semper seruet Cytherea tenorein,  
 Et regna in nostrum cui dedit ipsa caput.  
 Hac ego placata vel maxima spernere possum  
 Imperia, & priscus non cupio esse Midas.  
 At rosa suave rubens spinis armatur acutis,  
 Mellaq; item pugnax dulcia seruat apis.  
 Nec vale sanus Amor curis vacat : ille beatus  
 Quem minimis virges, saepe Cupido, malis.  
 Proince letiferas, puer inuidiosè, sagittas,  
 Aspera q; in populum ne gere corda tuum.  
 Sit satis irata modicè illachrymare puella,  
 Sit satis ingenita de leuitare queri.  
 Ingratas pulicare fores, aditumq; negari,  
 Illa mihi mortis suspicio instar erit.  
 Omnia perpetiar : modo spes, o Lydia nobis  
 Omnis placanda ne sit adempta tui.

## ELEGIA VII.

**S**olue caput galea, clypeumq; hastamq; Meleti,  
 Depone, & patiens ense recinge latus,

Nulla

## LIBER I.

15

Nulla hic hostilis rabiosa licentia ferri,  
Nulla repens cultus flamma minatur agris.  
Nulla tuba auditur, quæ dulces horrida somnos  
Auferat, incutiatq; metum.  
Hic pax alma viget : reclusisq; otia portis,  
Hic amor, & sumpta mitis Apollo lyra.  
Scuta virum canis, inuoluit aranea textis,  
Enses rubigo, sœuaq; tela domat.  
At iuuenum plenis florent coniuicia vicis,  
Blandaq; iucundis plausibus aura sonat.  
Ipse ego odorata tingam tua tempora nardo,  
Et flauæ imponam florida ferta come.  
Omniaq; abstrusum queram per dolia Bacchum :  
Ille deus mentes exhilarare solet.  
Cæsaris inde aquilas, & Cæsaris arma canemus,  
Fortiaq; Hetrusca mænia capta Senæ.  
Post debellatos & Iuppiter ipse Gigantes,  
Mississe ad Troia mænia fertur auem,  
Quæ formosum alto pastorem inferret Olympo,  
Molliter impresis tinguibus implicitum.  
Sepè illum niuea miscentem pocula dextra,  
Aspexit toruolumine nupta Iouis.  
Pallidaq; accumbens inter coniuicia diuūm,  
Vix summo ambrosias contigit oro dapes.  
Aspiceres superos nutus conferre vicissim,  
Illam autem sœnas vix cohibere manus.

Sed.

Sed neq; fati sero semper præcinctus est  
     Mar's ferus, aut semper prælia torua gerit.  
 Nudus erat, cum dijs spectantibus vndiq; in ipso  
     Prensus adulterio, turpia vincula tulit.  
 Ars nimirum arti præstat, cursuq; valentem  
     Assequitur pedibus tardior invalidis.  
 Tum sane ille ferox visus pallescere Mauors,  
     Nec vultus dubiis pertinuisse notis.  
 Non Otum immanem, non perniciosum Ephialtem,  
     Vinculaue obscuro perpetienda specu:  
 Sed raphanos captis solitos incurrere portis,  
     Figereq; in medio signa inimica foro.  
 Et qui depensis mugil sedit abdita mæchis:  
     Ut qui aliena fudit, discat et ipse fodi.  
 Ille quoque emenso qui fixit in orbe columnas,  
     Calumq; amoto solus Atlante tulerit.  
 Iam mactata Hydra, Nemeao iamq; leone,  
     Et volucrum monstrosis, Arcadiaq; sue.  
 Præbuit Eurytidi se non inuitus amandum,  
     Duxitq; à victa fas sibi iura dari.  
 Deposuit tegmen villoso immane leonis,  
     Virgineo cultu sustinuitq; tegi.  
 Clavaq; abiecta, lanam, fusoq; poposcit,  
     Et torsit duram leuia fila manu.  
 Et speculum tenuit, cum pellem induit a leonis  
     Mentita est fortē torua virago virum.

Ergo,

# L I B E R I.

Ergo quod Heroas decuit, superosq; Meleti,  
Mortali genito ne tibi turpe puta.

Fas est post magnos animum recreare labores,  
Et dare concessis tempora pauca iocis.

Tempus erit, cum tu maiorum more tuorum,  
Debita pro chara bella geres patria.

Indomitosq; Scythes arcebis finibus, et si  
Moschus in audaces sumpserit arma manus.

Hec tibi Cæsarea potior sit gloria palma,  
Hic tu quam fortis, tam pius esse velis.

At nunc, dum totis volitat pax aurea terris,  
Carpamus molles, pace fauente, dies.

# E L E G I A V I I I .

**Q**uid causæ esse putem, nullum quod lumina somnum  
Admittunt, nulla est quod mihi grata quies?

Cur pigri soles, cur nox tam longa videtur,  
Idemq; et corpus cordaq; languor habet?

Certè nulla meos febris depascitur artus,  
Non mihi Sol feruens, non grauis Auster obest.

Morbus amor meus est, et tu poscentib. astris,  
Tam formosa meo nata puella malo.

Te loquor absentem, te tota somnio nocte,  
Tu mihi cum die, tu mihi nocte dolor.

Parce tamen, per ego Veneris te dulcia fulta,  
Per pueri q; arcus, suaq; tela precor,

C

Parce,

Parce, neq; ingenium, te ferre ad sydera natum,

Frustrà inter curas consenuisse sinas.

Te placata ipsi videor posse amulus Orph ei

Pangere montanus percipienda feris.

Carminib. victæ quercus, & frigida quondam

Saxa: tibi saxis cor erit asperius:

Hei mihi, quòd Musis hac tempestate canoris,

Quoquò te vertas, nullus habetur honos.

Contemptæq; iacent artes, soliq; coluntur,

Quèis omne ingenium est, & lepor in loculis.

Illis ærati postes, & ferrea cedunt

Limina, nec vigilum turba molesta canum est.

At me cum Musis, vocaliq; improba Phæbo

Stare iubet clausas ante puella fores.

Me canis exagitat, me custos liminis arcet:

Si deder o, & custos, & canis ipse tacet.

Heu dominum ingenua quam turpe est querere forin a,

Sponteq; in alterius iura venire viri.

Fortunæ vincit faciunt conuicia serui,

Vos iuuat accepto munere iussa pati.

Quid? quòd nulla empto debetur gratia lecto,

Et mercede data liber amator abit.

Frustrà implorandus, cum formam carpserit etas

Inuida, & ingenuus fugerit ore color.

Tunc mens culpatur lœna, & stulte acta iuuentus,

Tunc ille erumpit tristis ab ore sonus:

Que mihi

Quæ mihi nunc mens est, cur non sicut antè pueræ?

Huic animo aut cur non pristina forma redit?

Admonitæ exemplis aliorum estote pueræ,

Serò sapit, damnis qui sapit ipse suis.

Non semper florentue rosa, florentue hyacinthi,

Et formæ exitium fatæ dedere suum.

Nunc, dum ætas patitur, constans querendus amicus,

Nunc, vel supremo qui legat ossa die.

Præcipua hæc merces est infelicitis amoris,

Extremum positi flemur velbi ante rogum.

Osculaq; accipimus frigente suprema labello,

Nomineq; à Stygiis usq; vocamur aquis.

Culpariq; deos, fatumq; audimus acerbum,

Et populo mæstas excutimus lachrymas.

Hoc exoptandum est perituro funus amanti:

Sic ego defleri, te superante, velim.

### ELEGIA IX.

**A**VRE, quæ cælo spiratis lene sereno,

Si quandaq; ventos incalæfecit Amor:

Hæc infelicitis mandata extrema Lycotæ

Deserte ad duras Phillidæ auriculas.

Thilli, nihil sine te vassano dulce Lycotæ est:

Dissidio amisit gaudia cuncta tuo.

Tes sine sue dies, seu nox regat humida cælum;

Nec noctu cessat flere, neque ille die.

Nec fessa in dulcem declinat lumina somnum,

Non illum calami, non sua Musa iuuat.

Te solam assidue perculso pectore querit,

Te saltus omnes poscit, & omne nemus.

Phillida crudeles, inquit, mihi reddite syluae,

Hac niueum assuevit illa mouere pedem.

Cum sectata boues mecum est, rituue Diana

Sustinuit seuis cominus ire feris.

Nunc illam qui saltus habet, quæue auia rupes?

An me consulto dum puella fugit?

Hæc ille ad surdas frustra iacit anxius auras,

Extremos iterant emula saxa sonos.

Interea scabra teritur rubigine vomer,

Vinea negligitur, sentibus horret ager.

Armenta indomiti rapiunt impune leones,

Irrumpunt auditi septa quoq; ipsa lupi.

Infelix ima proiectus valle Lycotas,

Nec pecori auxilium, nec sibi ferre potest.

Illum conigeræ pinus, lauriq; virentes,

Illum flent summis aspera saxa iugis.

Tu sola & saxis, & robore durior omni,

Negligis humanis illachrymare malis.

Consumi q; sinis crudeli peste Lycotam,

Nec referre tua, sit, pereatue putas.

Quem si perdideris: cuius mulcebere cantu?

In q; plagas alti clara ferere poli?

*Ille quidem calamos veteri iam fixit in ornō,*

*Et summo incidunt cortice verba duo.*

*Fistula amata mihi es, dum me quoq; Phillis amaret,*

*Hac tristi neq; tu, nec mihi vita placet.*

*Hæc mansura ita junt: misero fortasse Lycotæ*

*Immites Parcæ fila suprema legunt.*

*At tu sera voles tum denique ftere, sed ille*

*Nabit Lethæa non redditurus aqua.*

## ELEGIA X.

**S**ydera in Oceanum properant, fugit ignea Phœbe,

*At tu nondum etiam, Lydia lenta, venis.*

**Q**uae tibi causa moræ? quis te casusue, deusue

*Detinet, inq; meos non sinit ire sinus?*

**N**on ego te flauos ferro crisspare capillos,

*Aut iubeo leues excoluisse genas.*

**N**on ego Sidonias vestes, aurumue requiro,

*Quæq; micet digitis plurima gemma tuis.*

**T**e cupio solam, passo licet horrida crine,

*Et venias nudo non bene culta pede.*

**R**umpe moras: Venus ipsa viam monstrabit eunti,

*Præferet ardentes ipse Cupido faces.*

**E**t simulare virum mutata, Lydia, veste,

*Et scis fæminea tela tenere manu.*

**Q**uò tuus ille animus tibi, quoue audacia ceſſit?

*Quid me suspensum, ſollicitumq; tenes?*

*Ne mihi, ne tantum septem properate triones,*

*Lentius ô gyro Menali curre tuo.*

*Temorem gesisse decet, fauisseq; amanti,*

*Pignus enim cælum tu quoque amoris habes.*

*Te quondam Arcadiis venantem in saltib. ardens,*

*Impulit in casses Iuppiter ipse suas.*

*Nam cum sumpsisset formamq; habitumq; Diana,*

*Vir patuit facilis, imposuitq; tibi.*

*Hinc Arcas genitus: nato dolet Arcade Iuno,*

*Hosq; inquit, vultus non habitura diues.*

*Verba sequuta fides: nigram mutaris in ursam.*

*Calisto, tendis brachia furua Ioui.*

*Ille memor cælo matrem, natumq; recepit,*

*Nunc Boreo ardetis sydera clara polo.*

*Ne mihi, ne tantum septem properate triones.*

*Lentius ô gyro, Menali, curre tuo.*

*Lydia tu propera, nec segnib. utere plantis,*

*Nox irreprensis labitur atra rotis.*

*Ipsa etiam Phœbe flumen prospectat Iberum,*

*Iam liquidas Nerei, iamq; initura domos.*

*Hanc ego non mirer, si admissis concita bigis*

*Temperius cedat de statione sua.*

*Latmon causam habeat, sopitoq; oscula amoris*

*Debita: ter felix, terq; beate puer.*

*Quem dea pennato dignatur visere curru,*

*Et caput ambrosio molle souere sinu.*

*Purpu-*

Purpureisq; fragrans os impressisse labellis,

Et quæ præterea sola loca illa sciunt.

Endymion a petit Phœbe, tu Lydia cessas,

Meq; sinis viduo dura iacere toro.

Sydera q; septem frustra appellare triones,

Nec responsuros sollicitare deos.

An triuia exemplum sopia tum illudere suadet

Mens tibi e dum venias, sic quoq; lenta veni.

Sed mihi nescio quis pectus timor influit inum,

Spesq; cadit longa debilitata mora.

Et iam concussis cecinit vigil improbus alis,

Et nouus Eoa Lucifer exit aqua.

Lydia tu nusquam es: mens autem perdita fingit

Et quæ vana queunt, quæq; rata esse queunt.

Infelix, facilem qui vobis præbuit aurem,

Verbaq; vestra aliquod pondus habere putat.

Scintillas in aquis, et rorem querit in igne,

Fæmineo quisquis querit in ore fidem.

### ELEGIA XI.

**N**e me quæso, tuis occidas, vita, quarelis,

Itala non tanti est regna videre mihi:

Vt tua ab assiduo tabescant lumina fletu,

Simq; ego tristitia causa aliquando tue.

Multos durus amor fatum comitatus ad ipsum est,

Huic numero accedat nostra quoq; umbra comes.

Non

Non ego in Eleis respurgar puluere campis,  
 Præmia nec celeri clara merebor equo:  
 Nec Capitolinas deducar victor in arces,  
 Ignotum sic me fata perire volunt.  
 Immortalis erat, si sustinuissest Ulysses  
 Curam Penelopes deposuisse suæ.  
 Sed tanti neq; perpetua florere iuuenta,  
 Nec fuit amplexus emeruisse deæ.  
 Ergo ubi curriculum fragilis confecero vita,  
 Occupet in gremio me fera Parca tuo.  
 Nec iubeo, vt longa portes mea funera pompa,  
 Attalicoue loces frigida membra toro:  
 Sat scio, non poteris lachrymas retinere fideles,  
 Nec mea maiores mors cupit exequias.  
 Sed me tum exanimem terra ne conde frequenti,  
 Nam quid ego viuos mortuus inter agam?  
 Secreta melius iaceam tellure sepultus,  
 Quà vulgo, & celeri sit via nulla rotæ.  
 Exigua bustum tamen insignito columna,  
 Et duo deduci scalpito verba notis.  
 Hic situs est Mopsus, quem flamma vstura supremo  
 Accendit nigram mors ab amore facem.  
 Huc tu olim exacti venies non immemor aui,  
 Et tumulo impones annua ferta meo.  
 Multaq; cum gelido deserta querere sepulchro,  
 Sed misero sensus tum mihi nullus erit.

## ELEGIA XII.

**N**Vlo operæ pretio lapsum reuocatis, amici,  
 Sana parum prudens consilia odit Amor.  
 Nec tantum blando est oculorum lumine captus,  
 Sed surdis etiam dicitur auriculis.  
 Surdis, si moneas recte: sin ocia laudes,  
 Audiet, & letis annuet usq; genis.  
 Ergo cum vitiis hominum genus omne laboret,  
 Nobis insipiens obiicietur amor.  
 Hic me Sauromatam durum, gelidaq; sub Arcto  
 Eductum ad ripas, Vistula flave, tuas,  
 A studiis belli auertit, patriaq; tuenda,  
 Vnica quæ prisca cura tenebat auos.  
 Pacificasq; artes, dulcemq; ante omnia Musam  
 Perdocuit: quæ vis fertur inesse deo.  
 Frigida ne tantum Thrace, sed dicere Vatem  
 Quondam etiam posset Sarmatis ora suum.  
 At mihi nec sylvas deducere montib. altis,  
 Nec trahere insuetas carmine cura feras:  
 Cura mihi est cantu teneram placare puellam,  
 Et duro affixas posti aperire fores.  
 Hæc si Musa potest peruincentre nostra, sequaces  
 Ite alio sylua, vosq; alio ite feræ.  
 Nec vestros effræna morabor flumina cursus,  
 Illa mihi adsideat, vos via vestra ferat.

D

Alter

Alter equis igitur cadentibus, hoste subacto,

Late per populos conficiendus eat:

Captiuosq; trahat reges, ereptaq; Parthis

Ad patrios figat bellica signa deos.

Si non inuitus spectas me, Lydia, vultu,

Nulla mihi est viciis gloria tanta Scythis.

Nulla, nec antiqui regnum florens Halyattis,

Quasq; Asia ractat frugifer orbis opes.

Et certe, humanas si quis res estimet equis,

Quas, deus, incertum est, forse inopina regat:

Seria vix opera in quicquam insumenda videtur,

Tam nihil est constans, tam solidumq; nihil.

Ex patria ignotas iusti pelluntur in oras,

Aut morti addicli dira venena bibunt.

Flumine caelitum cultor cadit: hostib. ille

Viciis, in fide coniugis ense cadit:

Cræse, ubi opes tuæ erant fortunaq; pristina, cum tu

Succensa arderes captus ab hoste pyra?

Nunc demum, credo, agnoscis, non posse beatum

Dici hominem nigram funeris ante diem.

Q uod casus etenim impendent mortalibus, aut quis

Cognita, que vitet, quem sequatur, habet?

Vt, non immerito Sileni optaueris illud,

Vel nunquam nasci, vel periisse statim.

Quis scit enim, quem se maneat fortuna? quis autem

Tam viuax, ut non vivere desierit?

Hoc

*Hoc lucri interea quanto est annosior aufert,*

*Ut tanto inselix plura mala ille ferat.*

*Quæ tempestiuæ vitaasset mortuus hora,*

*Mature Lachesis deficiente colu.*

*Longa dies Priamo inuidit, ne ponere vitam*

*Fortuna posset prospere sua.*

*Huic fert acceptum, quod sœna incendia Troiæ,*

*Quodq[ue] trahi rapidis Hectora vidit equi.*

*Vxorem abduci captiuam, sanguine tempora*

*Manare, atque ipsum cæde rubere louem.*

## ELEGIA XIII.

*VRbs inuisa vale : latos concepsit in agros*

*Lydia carpento vecta fugace mea.*

*Tu tauros, Amor, agricolæ iam pasce futuro,*

*Tu mihi solerti fabrica aratra manu,*

*Sarculaq[ue], & rastros : ego stiue innixus, adunco*

*Versabo glebas vomere pinguis humi.*

*Spemq[ue] anni venientis arata semini a terra*

*Spargam, sed domina me comitante mea.*

*Hac præsente omnem possum perferre laborem,*

*Illa mihi vires auferet, illa dabit.*

*Atq[ue] utinam luxus urbani oblita deinceps,*

*Hic agros inter mecum habitare velit.*

*Aureaq[ue] ex animo deponat tempora deorum,*

*Thermasq[ue], & Cilicis pars a theatra croco.*

Ac potius nudis oblectet lumina syluis,  
 Et quæ per sylvas plurima cantat avis.  
 Hic videas tacitis labentia flumina ripis,  
 Et latè effusos per loca amæna greges.  
 Et depugnantes niuca pro coniuge tauros,  
 Pastoremq; cauis conqueri arundinibus.  
 Nec te paeniteat damas agitare fugaces,  
 Hortariq; vagos per iuga summacanes.  
 Non ita iucundus cytharae canor influit aures,  
 Non ita Phœbæa tybia mista lyrae:  
 Ut, cùm certa feræ vestigia naclæ canum vis,  
 Latratu & valles, & nemora alta ciet.  
 Cerua volat pauefacta, canes non segnius instant,  
 Astra ferit clamor densaq; sylua tremit.  
 Hic mihi contingat properantem carpere vitam,  
 Hic ego sed tecum consenuisse velim.  
 Formosa Arcadii Atalanta in montib. æuum  
 Egit, & hirsutas est iaculata feras.  
 Illam per valles, atque aspera saxa vagantem  
 Cum canib. patiens est comitatus amans.  
 Sapè, ubi sol rapidos duplicasset feruidus æstus,  
 Mollis utriq; vicem præstitit herba tori.  
 Aut, ubi nox inopina morantib. incubuisse,  
 Pro thalamo cieclis antra fuere feris.  
 Ter, quater, & quantum non est numerare, beati,  
 Quorum pectorib. mutuus ardet amor.

Hoc

Hoc fortuna statu, quæcumque est grata, placensq; est,  
Sic ego Caucasea rupe habitare queam.

Tecum nec fremitum ponti, nec murmura cœli,  
Nec timeam ætherea fulmen ab arce cadens.  
Aut si quid timeam, timeam tibi: dum modò tu sis  
Incolumis, me, æquor, me Iouis ira domet.

Illorūmne putem vitam magis esse beatam,  
Murice quos Tyrio purpura tintæa tegit?  
Aut quorum Phrigiis assurgunt tecta columnis,  
Et viret in lata consita sylua domo?

Fulgor hic externus tantum est, mortalia stringens  
Lumina, ne internus peruideatur homo.

Quò si acies posse descendere, forsan ibi illos  
Æs alienum ingens, grandeq; fænus edat.

Aut quæ diuiciis adnata est cura parandis,  
Quemq; trahit secum prægravis arcæmetum.  
Spe tui amoris ego diues sum, Lydia, abundè,  
Hac redigi in cineres mortuus opto face.

## ELEGIA XIV.

**Q**UOD cælas, nulliq; tuum concredis amorem,  
Consilium laudo, dulcis amice, tuum.

Tutus amas, citræ inuidiam, linguisq; malorum  
Effugis, & famæ consulis ipse tue.  
Me non tam leni fixit puer ille sagitta,  
Ut plagam possem disimulare meam.

*Ipse licet taceam, mea me suspiria produnt,*

*Quiq; sedet maestus pallidus ore color.*

*Quid? cum ad præclusum nocturnus obambulo limen,*

*Aut iaceo dura semisopitus humo:*

*Atq; aliquis, pigri curru inclinante Bootæ,*

*Cum face præteriens, hic miser, inquit, amat.*

*Nec male coniectat, vereor quoq; ne improbus inde*

*Prodierit, quò me fors vetat ire mea.*

*At tu fortunæ nimium nefide secundæ,*

*Quisquises: incerto vertitur orbe dea.*

*Nuper ego tota posedi nocte puellam,*

*Algebas, clausas tu miser ante fores.*

*Algebas, hybernus aquas cùm funderet Auster;*

*Me tenera in molli souit amica sinu.*

*Quæ Colchis, quæ illam mutarunt carmina? an auro*

*V is maior, quam herbis, carminibusq; data est?*

*Aurum quisquis habes, nihil es quod cætera poscas.*

*Auro nil fingi mente potest melius.*

*Hunc ego, qui nostro potitur nunc victor amore,*

*Gipsato memini turpiter ire pede.*

*Vrbis & ad fossas opus exercere diurnum,*

*Immitis domini non sine verberibus.*

*Nunc ille aut cæde, aut furto re perfidus auæta*

*Regna tenet, nostris perfruiturq; bonis.*

*Ach pereat, quisquis mercari primus amorem*

*Institut, & Veneti præmia constituit.*

Ille pu-

## LIBER I.

32

Ille pudicitiam subuertit perfidus, ille

Nequitia stimulus subdidit, atq; faces.

Hinc artes fluxere male, didicitq; puella

Quamuis austерum ludere vafra virum.

Felix prima etas, cum luxus nescia pubes

Vitam inter sylvas duxit, t) inter agros.

Tum neq; vestiri moli bombyce puellis

Mos fuit, aut gemmas induere articulis.

Vestis erat caprea pellis detracta fugaci,

Aut ceruo cripedi, monticolae lupo.

Qui sylvestrem hynulum dominæ, pictamue volucrem

Tum dederat, magni muneris instar erat.

Nec dignata est tuas, aut cerea pruna

Accipere, t) viles grata puella nuces.

His delinitus nugis etiam igne supremo

Contingi certus non dubitauit Amor.

Nunc ille t) gemmis, fulvoq; rependitur auro

Frustra: nam pretium, non dator ipse placet.

At tu, cui messem fortuna obiecit opimam,

Iamdudum armatas in sata mitte manus:

Cum dederit vates, cum totum effuderit aurum,

Et loculos ponat imperiosa iube.

Ipsa autem iam nunc maturis prospicere annis

Incipe, mansuras iungeq; amicitias.

Nec tu nobilibus, nec tu confide beatis,

Namq; in fortuna dissipare languet Amor.

Me neq;

## ELEGIARVM

*Me neque longa ætas, neque fors mutauerit ulla,  
Et vino, & cineri chara futura meo es.*

## ELEGIA XV.

**N**unc age, quo pacto bellatrix Vanda Polonis  
Prefuerit, solito carmine, Musa, refér.  
Sublato è viuis Craco patre, filius annis  
Inferior, cæsò fratre per insidias,  
Inuasit regnum: porrò is quoq; numinis iram,  
Et fratris manes nocte dieq; pauens,  
Occubuit vicitus furiis, neque longius anno  
Lætatus parto est per scelus imperio.  
Vnica restabat Craci de sanguine Vanda,  
Vanda potens forma, Vanda potens animo.  
Non illa aut lane, radisue assueta Mineruæ,  
Filo aut ducendis versicolore notis:  
Sed iaculis armata citæ comes ire Diana,  
Sternereq; aduersas per nemora alta feras.  
Hinc odium tæde, hinc mentio nulla hymenæi,  
Et constans placita virginitatis amor.  
Quod tacitum illa suo semper sub pectore presit,  
Cùm diuersa hominum spes foret interea.  
Qui tibi Nympharum pulcherrima Sarmatidarum,  
Optabant sponsum laude, opibusq; parem.  
Huic ergo unanimi assensu populusq; patresq;  
Mandant fæminea sceptræ tuenda manu.

*Illa reluctari primū, neque credere vires*

*Posse suas tanto sufficere imperio.*

*Instantis precib. vix tandem victa senatus,*

*In solio sedit pulchra virago patris.*

*Atque ita commissum curauit sedula munus,*

*Conserri magnis posuit ut illa viris.*

*Multi illam Arctoo iuuenes ex orbe petebant,*

*Quorum vota plaga raptas per aerias.*

*Ritogarus Teuto ante alios instantius ambit,*

*Verum spem vanam Ritogarus quoque alit.*

*Hic opibus florens, & duro Marte superbis,*

*Iactabat Rheni nobilis esse genus.*

*Sed nec opes vllas, nec fortia facta, genisue*

*Vanda viri curat virginitatis amans.*

*Despectus fremit ille, & curis ducitur anceps.*

*Hinc ira rabies, hinc ferus vrget amor.*

*Mutanda est ratio, precibus nihil egimus, inquiet.*

*Et simul arma amens exitiosa capit.*

*Non latuit Vandam, quid vacors Teuto pararet,*

*Quare nec rebus desuit ipsa suis.*

*Iamq; pares utrinque animos in bella ferebant,*

*Cum Vandæ præco missus ab hoste venit.*

*Ritogarum, o hera ait, mox es visura: virumne,*

*Anne hostem maius, optio salua tibi est.*

*Neutrum, Vanda inquit, cupio: tantumq; loquuta,*

*Praconem nulla iussit abire mora.*

## E L E G I A R V M

*Hoc responso hostis magis irritatus, amore  
 In furias verso, propositum urget iter.  
 Huic acie instructa pharetrata occurrit Amazon,  
 Votum sublatis tale vouens manibus.  
 Quod pretio dignor summo, atq; ante omnia charum  
 AEstimo, si vinco, Iuppiter esto tuum.  
 Audit orantem placida Saturnius aure,  
 Intonuitq; alti dexter ab arce poli.  
 Omine lata cani signa imperat, ipsaq; in hostem  
 Ante alios rapido concita fertur equo.  
 Reginam insequitur densis exercitus hastis,  
 Hos animo excipiunt Teutones intrepido.  
 Pugna atrox oritur, ceduntq; caduntq; vicissim,  
 Mars ferus hinc celeres spargit, et inde neces.  
 Fusus ad extremum est miles Germanus, et ipse  
 Dux aquilas ictus concidit ante suas.  
 Arma modo exanimi detraccta: cadauer humatum,  
 Captis vita data est, tutaq; abire via.  
 At quae pugnatum est, victrix regina trophyum  
 Vistuleas ponit nobile propter aquas.  
 Huc galeas, atque arma virum tulit: inde sonantem  
 Conuersa ad fluuium talib: orsa loqui est.  
 Vistula diues aquæ, fluuiorum Vistula ocella,  
 Quoscunque Arcteo despicit Ursa polo.  
 Quæ tibi serta prius, floresq; offerre solebam,  
 Illa ego Vanda tuis cognita fluminibus*

Nunc pro pallenti viola, croceoq; hyacintho,  
 Hac spolia in ripis figo cruenta tuis.  
 Deuicti monumentum hostis, temeraria qui in me  
 Demens inuitis mouerat arma diis.  
 Et quam non potuit prece flectere, cogere ferro  
 Tentauit frustra, cum exitioq; suo.  
 Et nunc ille ferox iacet acri vulnera victus,  
 At me fama alti tollit in astra poli.  
 Dii, quorum auspiciis occurri hostilib. armis,  
 Et verti in turpem signa inimica fugam,  
 Non ego vos urgente metu coluisse, statimq;  
 Neglexisse malis exonerata ferar:  
 Sed quicquid demersa altis vovi anxia curis,  
 Fortunata n omnes persoluisse scient.  
 Estne anima quicquam pretiosius? hanc ego vobis  
 Vestro seruatam munere dono libens.  
 Hec ait, extremaeq; ut stabat margine ripæ,  
 Ultrò se in rapidas præcipitauit aquas.  
 Obstupere omnes factum, gemituq; dolorem  
 Testati, immeritas vngue scidere genas.  
 Illam cæruleis exceptit Vistula teclis,  
 Et patrii ius sit fluminis esse deam.  
 Plebs rata mortalem corpus quæsiuit in vndis,  
 Ut daret extremo membra cremanda rogo.  
 Spe frustrata dehinc tumulum congesit inanem,  
 Vnframq; à Stygiis ter reuocauit aquis.

## E L E G I A R V M

*Auditus clamor fundo alti fluminis imo,  
Errorq; ille nouæ Naidi gratus erat.  
Et tum nemo quidem lachrymas non fudit amaras;  
Luxeruntq; illum & postera secla diem.  
Extat adhuc laeva monumentum hoc nobile ripa,  
Qua Mogilani liquidis Vistula lambit aquis.*



# IO. COCHANOVII

## Elegiarum liber II.

## ELEGIA I.



*Il tam enixè unquam diuosum, vita,  
precatus,  
Costum adolens sanctis, & piatura  
focis:  
Atque hoc, ut tecum possem omnes exi-  
gere annos.*

*Et colere æternæ fædera amicitia.*

*Dum me post nunquam redditurum in luminis oras,  
Sopisset somni desidis atra soror.*

*Nec tu omnino meum auersari visa es amorem,  
Quin dederas animi pignora multa tui,*

*Credere uti possem diis exaudita fuisse*

*Vota mea, atque pias non periisse preces.*

*Huius te, ut video saties iam cepit amoris,*

*Et noua sunt animo tedia oborta tuo.*

*Cuiq; locus princeps fuit antehac semper apud te,  
Spretus in extremo nunc ego resto gradu.*

*O leuitate tua multum, dolitura puella;*

*Nam mihi ita infenso non reor esse deos.*

*Ut caput iniusto nequam subducere regno;*

*Hoc ipsum quamuis absque dolore meo.*

Confieri hand poscit: Sed enim omnem iniuria amorem,  
 Et quamvis veteres soluit amicitias.  
 Felle carere ferunt, irarum sede, columbas,  
 Hostem laſa tamen pungit et illa suum.  
 Multa tua in me extant immixta, seuq; facta,  
 Multa dolenda mihi, multa pudenda tibi.  
 Quæ tamen omnia amor concoxit, Lydia, noster,  
 Corde nec est passus fixa manere meo.  
 Quin paenas etiam, quæ te periura manebant,  
 Optauit in nostrum ſepè redire caput.  
 Et quoties tonuit, voti mihi concius huus,  
 Ultrò arbitrabar me iouis igne peti.  
 Decretumq; mihi fuit omnino, improba, pro te  
 Per Stygis horrendos velificare lacus.  
 Nec, si tu fueras in nos ingrata futura,  
 Credebam osuros et pia facta deos.  
 Ausa mori Alcestis pro coniuge redita vita est,  
 Et durum iuuita morte rediuit iter.  
 At te nec pietas mea, nec constantia flexit,  
 In rectam ut velles versa redire viam.  
 Troinde iuuenta tuas dum pinget florida malas,  
 Atq; hic in nitido manserit ore color:  
 Copia amatorum nullo tibi tempore deērit,  
 Et tua sat mæchis est calitura domus:  
 Qui te vero ita amet, te sit contentus ut una,  
 Et eius extremos perstet ad usq; rogos,

Hand

Haud facile inuenias: quæ tu post verba, dolore  
Docta tuo, dices vera fuisse nimis.

## ELEGIA II.

**B**acche, tuus vates tibi supplicat: aspice quæso,  
Immitis quo me torreat igne Venus.  
Aspice sed facilis, cordisq; incendia seda:  
Sæpe tua imbellis cornua fugit Amor.  
Tu curas abigis, tu vanos temnere fastus,  
Et calcare doces dinitioris opes.  
Tu timidis animum, tu ignavis arma ministras,  
Tu regis incautos per loca iniqua pedes.  
Huc calices crebros infer puer, huc age lymphas:  
Sed lymphas aliis porridge, vina mihi.  
Vina mihi, & nexas fragranti flore corollas,  
Ah pereat si quem sobria vita iuuat.  
Non ego, cum moriar, sertis volo cingier vallis,  
Tum mihi nec flores, tum neq; vina date.  
Vina mihi, & flores vino date: cum semel Orcum  
Attigero, puluis munera vestra bibet.  
Vita brevis longam spem non amat: abiice curas  
Qui sapi: effusis labitur annus equis.  
Quam citò prona vagum descendunt flumina in æquor.  
Quam citò terra suas florida perdit opes.  
Quam citò Phœbea nox lampade pulsæ recedit,  
Quam citè non segnis surgit, abitq; dies

Tam fugi-

Tam fugiunt anni, properatq; volatile tempus,  
 Nec cuiquam certum est, quid ferat hora sequens.  
 Dura puella vale: te nec mea flectere Musa,  
 Nec potuit vel Amor, vel mea rara fides.  
 Et mihi mens hec est, nec iam seruire superbae,  
 Nec consuetari, quæ me inimica fugit.  
 Forfitan inueniam, quæ pluris me aestimet: at tu  
 Serò, sed agnosces damna aliquando tua.  
 Hei mihi, quid dixi? quò me malus impulit error?  
 Ten' ego vel possum, vel caruisse velim?  
 O dulces somni, dulcis mora, vosq; beatae  
 Noctes, cum gremio me souet illa suo.  
 Sed cur interea calicem mihi nemo propinat:  
 Vnde istos Curios, Fabriciosq; nouos?  
 Nonne audiuitis etiam ipsum aliquando Catonem  
 Induluisse iocis, & caluisse mero?  
 Iam ueniet Bacchus: Bacchi certamina quisquis  
 Fugerit, iratum sentiet ille dcum.  
 Non frustra tenera pretendit cornua fronte:  
 Cornua, si sapitis, ista cauete viri.  
 Præcipue quem pulchra domi manet uxor, & intra  
 Limina deserti sola cubat thalami.  
 Iamq; olim & nautas mutarat piscibus, & nunc  
 Si tibi non caueas, ex homine hircus eris.  
 Bacche pater, te quæso, alios pete cornib. istis,  
 M: sat habe donis permaduisse tuis.

## ELEGIA III.

**Q**uid me tam variis torqueas, Amor improbe, curis,  
 Et rapidi huc illuc turbinis instar agis?  
 En qui succensus saua modo bile tumebam,  
 Et dominam iussi res sibi habere suas:  
 Deuouiq; caput diris, measi leuis vñquam  
 Limen ad infidum planta reuersa foret:  
 Nunc, eheu, pectus mordente iniuria eadem,  
 Hostibus incipio lenior esse meis.  
 Ingratisq; vltro queror auribus, & manifestum  
 Defendi fictis crimen amo lachrymis.  
 Me me, ô quisquis ades, vñclis, oneraq; catena,  
 Me me extrà limen ne sine ferre pedem.  
 Ne quando innocuos tentem pulsare Quirites  
 Væcors, & axis obvia quæq; petam.  
 Non quia non videam facinus me admittere dignum  
 Suppicio, ciuem si violare parem:  
 Sed quia nulla mei superant mihi frena regendi,  
 Nec possum damnis abstinuisse meis.  
 Duc, ô præclarum puer imperiose triumphum,  
 Mens bona ab arce sua præcipitata ruit.  
 Tu terras omnes, tu frenas & quora ponti,  
 Te rigidi manes, & Iouis aula tremit.  
 Ergo amissa semel incauta errore iuuentæ  
 Libertas nobis irreditura periit:

Vitaq; sub domino exantlanda est omnis iniquo,

Nec dabitur fracto soluere colla iugo.

Ad saltē admiss& caperet me obliuio culpa;

Nesimul odiſſe, & cogar amare simul.

Nunc me in diuersas raptari sentio partes;

Et furit in venis iraq; amorq; meis.

Hoc per tota nouem est porreclum iugera terrae,

Facundo geminam peccatore pascere auem.

Hoc saxo obniti est semper, semperq; relabi,

Hoc indefessa circumagi usque rotæ.

Iam si quando mero curas expellere conor,

Qui una arsi, gemina mox cinesio face.

Seu noua mutatis consector gaudia flammis,

Nox & quam prorsus non habet illa Cypris.

Ibo quo me cunque pedes, & lumina ducent,

Fida sodalicij turba valete mei.

Ibo: sed facile est fugere urbem & limina nota:

At quis tam pernix, se quoque ut effudiat?

Et tamen ire libet, meq; altus condere syluis:

Subueniunt animis tristib. illa loca.

Hic auium querulis resonat concentibus aer,

Hic vario tellus flore adoperta viret.

Hic pauidum exagitat leporem indefessa canum vis,

Et tenduntur apris retia syluicolis.

Eheu nulla mouent animum spectacula maestum,

Infelix tacitis ossib. haeret amor.

Urbem

*Urbem reppetere est animus: concadite sylue;*  
*Non nemora, aut fontes, non mihi rura placent.*  
*Sed ne urbs ipsa quidem: nec denique vita: proterius.*  
*Consilia iuuoluit sic puer ille mea.*

## ELEGIA IV.

*C*ura pij vates diuum sumus: aurea visa est  
*Adstare insomnis hac mihi nocte Venus.*  
*Talem si Phrygia spectauit pastor in Ida,*  
*Nescio quid Iuno, quidue Minerua fremant.*  
*Ambrosium crinem radians astrinxerat aurum,*  
*Certabant geminis lumina syderibus.*  
*Purpureusq; color niueo permistus in ore,*  
*Auroræ facies exorientis erat.*  
*Aut cum flos roseus lacti puro innatat, aut cum*  
*Sidonio sparsum murice fulget ebur.*  
*Talis erat, talemq; mihi visa edere vocem est,*  
*Incumbens lecto nocte silentे meo.*  
*Tu, si quisquam alius, poteras sapienter amare,*  
*Cuius tam longo pectus amore calet.*  
*Miles ubi assiduis animum durauit in armis,*  
*Intrepida raucas excipit aure tubas.*  
*Qui sapè indomitum curua rate proscidit æquor,*  
*Securus tumidis nauita fertur aquis.*  
*At tu, captus uti nunc primū de grege taurus,*  
*Subtrahere adducto colla videre iugo.*

Et leuiter districtus, amaris astra laceſſis  
 Questibus, & superos improbus eſſe negas.  
 Demens, ah demens, qui vento flante ſecundo  
 Non videt alternas pone venire vices.  
 Nulli tam faciles fortuna aspirat amores,  
 Ut lachrymis aliquem non ſinat eſſe locum.  
 Vt mille effugias mala, reſtant altera mille,  
 Quæ tibi ſecurum ſollicitent animum.  
 Ille ſapit, qui fert recte, quod ferre neceſſe eſt,  
 Nec ſua damna nois accumulat lachrymis.  
 Quanquam ſi expendas aliorum incommoda amantum,  
 Non dubito, felix quin videare tibi.  
 Quam multos censes apud Orci limina flere,  
 Quos ingratus Amor ſuſtulit ante diem,  
 Aut quibus eripuit ſedes maleſidus auitas,  
 Misit & ignoti ſub titulum domini.  
 At tua quam facie preſtaui, tam pectore miti eſt,  
 Et te plus etiam, quam merear is, amat.  
 Sed tibi nulla pudica ſatis, nulla, improbe, caſta eſt,  
 Sit licet Euadne, priſcaq; Penelope.  
 At qui non facibus ſuccenſis, non Hymenæo  
 Deducente, tuum contigit illa torum:  
 Sed furtim, & tacitis obrepſit ſola tenebris,  
 Quodq; facit, nulla lege coacta facit.  
 Haec tu grato animo, ſi quid ſapis, accipe, nec plus  
 Exige, quam lecto debeat illa tuo.

Nam per-

Nam persuaderi quanquam tibi non finis, illam  
 Carp, infelicem mutuo amore tui:  
 Hoc ab ea ferre es solitus tamen, improbe, quo plus  
 Nullus quantumuis perditus optet amans.  
 Hac cùm dixisset currum concendit eburnum,  
 Et dedit admissis aurea lora cygnis.  
 Me quoq; destituit somnus, noxq; illa dolorem  
 Non nihil, & curas visa leuasse meas.

## ELEGIA V.

**N**on ita solliciti sulcant Neptunia nautæ  
 AEquora, cùm cæca sydera nocte latent.  
 Nec fugiente die tanto mærore viator  
 Errans in sylua carpitur Hercynia:  
 Quantis nostra solent rabi scire pectora curis,  
 Cum fugis ex oculis, Lydia dura, meis.  
 Tum mihi ne quicquam cælestia porrigat Hebe  
 Pocula, ne quicquam pulset Apollo lyram.  
 Omnia sunt ingrata tuo sine, Lydia, amore,  
 Omnia sunt luclus, omnia sunt lachrymæ.  
 Perfidus ille, meo quicunq; inuidit amori,  
 Iratos habeat, quicquid aget, superos.  
 Non incerta loquor: saeo nunc ille dolore  
 Saucius, indomitis nauigat æquoribus:  
 Ingratiq; diu pœnas perpessus amoris,  
 Anticyram tandem per freta vasta petit:

## ELEGIARVM

O Neptune, tuisi sunt rapida aquora iuris,  
 Cyaneis illam fige ratem scopulis.  
*Fige:* vel in medias luctantem coniice Syrtes,  
 Alueus infidum continet ille caput.  
*Me Venus edocuit quosuis sufferre labores,*  
*Et mihi iam pridem nil in amore nouum est.*  
*Edidici hybernis pluuiam fundentib. Austris,*  
*Dormire ingratas frigidus ante fores.*  
*Et mihi promissas potiori cedere noctes,*  
*Et lachrymas siccis disimulare genis.*  
*Lydia, te propter nihil est, quod ferre recusem,*  
*Seu faueas, seu tu sis inimica mihi.*  
*Enagedum, seu mea pectora diuide ferro,*  
*Si merui, & si te vulnera nostra iuuant.*  
*Si neq; ego merui, nec tu quoq; sanguine gaudes,*  
*Quid me sollicitum lenta perire sinis?*

## E L E G I A VI.

**I**Nfaustus fuit ille dies, cum Lydia, primum  
 Occurristi oculis aspicienda meis.  
*Tunc adaperta via est nostro tam longa dolori,*  
*Tum cœpi infelix corde carere meo.*  
*Hei mihi, cur una, faciem cum forte tuerer,*  
*Non vidi mores, ingeniumq; tuum.*  
*Cœcus Amor vetuit: sed cœcus non fuit illo*  
*Tempore, cum palmam traderet ille tibi.*

Mille

*Mille alias inter : quarum celeberrima paſſim*

*Tum dimanabat forma per ora virūm.*

*Tam constans effeſs, quām forma, Lydia, prafteſt:*

*Hac facies alio pectore digna fuit.*

*Digna fuit facies, in qua conſtantia maiori,*

*In qua certa fides, certus in eſſet amor.*

*Forsan & hoc meritis debebas, improba, noſtriſ,*

*Obsequii velleſ ſi meminiſſe mei.*

*Nunc oblita quidem eſ: ſed quae tibi ſuggerat olim*

*Meq; meamq; fidem, venerit vna dies.*

*Venerit, vtq; geras ſolidum ſub pectore ferrum,*

*Coget te in uitis illachrymare geniſ.*

*Aſt ego per medias fugiam te, perfida Syrtes,*

*Quantumuiſ pelagi ſauiat ira licet.*

*In uifos modō non videant mea lumina colles,*

*Quo me cunque libet ventus, & eſtus agant.*

*Illic fortunamq; meam, tuaq; impia facta*

*Fluctibus, & ſurdo conquerar vſq; mari.*

*Conquerar & scopulis: ſcopulos fortaffe mouebo,*

*Qui cor non potui, dura, mouere tuum.*

*At vos AEolii verrentes aquora venti,*

*Mergite me pelago, cum redditurus ero.*

## ELEGIA VII.

**S**Parge, puer, violas, & ſactæ proſer odores,

Et remoue lymphas, & mihi funde merum.

Non

Non ego aquam, si sim malus & sq; poëta futurus,  
     Sit licet Aonio fonte petita, bibam.  
 Prome chelym, latis aptentur carmina neruis,  
     Certum est hunc festos inter habere diem.  
 Rex hodie Augustus victricia signa reportans,  
     Arctois rediit sospes ab æquoribus.  
 Acer ubi infestis Liuonem compulit armis,  
     Ante triumphales procubuisse pedes.  
 Legatis contrâ fas omne, humanaq; iura,  
     Intulerat sœnas perfidus ille manus.  
 Quod facinus bello cum rex statuisset aperto  
     Ulcisci, validam cogit & ille manum.  
 Et prior in medijs procurrens æquora campi,  
     Acria magnanimo bella ciebat equo.  
 Principiis dispar fuit exitus : ille modo asper  
     Terga ferre ante tubam non reuocanda dedit.  
 Ac velut, absentem, taurus cum prouocat hostem,  
     Horrendum mugit, cornuaq; exacuit.  
 Tum si montiuagum confexit forte leonem,  
     Oblitus pugnæ, corde tremente, fugit.  
 Hæc facies Liuonis erat : stans æquore aperto,  
     Spirabat sœnas, hoste morante, minas :  
 Ut seges hastarum, veniensq; adparuit agmen,  
     Ne tentare quidem prælia prima tulit.  
 Sed veniam abiectis poscebat degener armis,  
     Votaq; non surdos illa habuere deos.

Nam

Nam tu supplicib. pacem, Rex magne, dedisti,  
 Inferior qualem non habiturus eras.  
 Nec satis id duxti, socios ex hostibus ultrò  
 Fecisti, pro quèis bella cruenta geras.  
 Clara lagellorum soboles, quos fortib. armis  
 Exuperas, placido vince quoque ingenio.  
 Hac tuus arte pater cælo caput intulit alto :  
 Non solum forti præstis illæ manu.  
 Ut dextra metuendus erat, sic pectore lenis,  
 Hoc neque Teuto, neq; hoc Prussia culta neget.  
 Huius virtutes, exemplaq; nota sequutus,  
 In cælum rectam tu tibi sterne viam.  
 Quæq; tibi florens in summa tradita pace est,  
 Sarmati& præstes otia longa tuæ.  
 Quodq; facis, patriis procul arce à finib. hostem,  
 Trans Tanaimq; Scythes in sua regna fuga.  
 Tace iugum indomitus consuescit ferre iuuencus,  
 Et valido pinguem vomere scindit humum.  
 Pace greges ouium per florida rura vagantur,  
 Et rude pastoris carmen in ore sonat.  
 Sylvæ in agros cedunt, fruges pro glande leguntur,  
 Oppida consurgunt, quæ cubuere feræ.  
 Gymnasia, & campi iuuenum certamine florent,  
 Prisca artes redeunt, artificumq; seges.  
 Pace nec Arctoas horrescit Musa pruinas :  
 Ultima laus æui non erit illa tui.

## E L E G I A . V I I I .

**P**irrhæ progenies, naturæ inimica, puellæ,  
 Quæs sua forma odio est, & suis ore color.  
 Quid iuuat immeritos calamistris turere crines,  
 Et variare noua lege subinde comam?  
 Auribus Eos appendere quidue lapillos,  
 Et niueas gemmis irradiare manus?  
 Quid iuuat, inquam, oculos nigra medicare fauilla,  
 Aut Crocodilæo perlinere ora fimo?  
 Quam natura ultrò produxit, ea optima formæ est,  
 Dote sua quæuis culta puella sat est.  
 Tam formosa manu sat a nunquam creuerit ornus,  
 Atque ea, nativo quæ viret orta solo.  
 Et silicum venis erumpit amenor unda,  
 Quam per defessos quæ venit aëla tubos.  
 Dicite, cum Venerem, aut Iunonem pingit Apelles,  
 Quæ simulachra animo tum gerit ille suo?  
 Vösne, quibus lento facies nitet illita fuco,  
 An quos commendat candor in ore suis?  
 Sed pulchri tam acer nunquam obseruator Apelles,  
 Nunquam Parrhasius, Protogenesue fuit;  
 Nec Paris ipse adeò, cui magna in valib. Idæ  
 Tres se aiunt nudas exhibuisse deas:  
 Quam speculator Amor formarum est callidus; ut qui  
 Non nisi formosas pulchrior ipse colat.

Quæ

Quà puer est igitur, florentes exigit annos,

Nec sequitur spinas, cùm periere rosæ.

Quà nudus, odio fucata habet omnia: corq;

In primis: nam plus pectora ficta nocent.

Illi ad leges formam colitote, puellæ,

Effigiemq; gerat, quà pote, Amoris amans.

Olim, cùm grauior vobis accesserit etas,

Cæperit tñ) niueas findere ruga genas.

Olim ignoscat Amor, vos (ni labor hic sit inanis)

Omni ope pro vestris dimicuisse bonis.

Nunc facie illibata, tñ) flore etatis in ipso

Quis cerussatis vos præbet ire genis?

Adde, quòd ante diem facies medicata senescit,

Et teneram viciant acria philtacutem.

Quæq; expersfuci poterat formosa videri

Ad puras flavi verticis usq; niues,

Nunc medicamentis meliorem enecta figuram

Viginti exactis messib. audit anus.

Quæ cupit ergo diu, tñ) verè formosa vocari,

Ne formosa unquam plus satis esse velit.

Sed naturali perficit contenta decore:

Nescio quid præter formam in amore iuuat.

### ELEGIA IX.

**P**Arce queri fastum duræ, Ligurine, Næræ,  
In melius nostras vertet Amor lachrymas.

*Instabile ingenium tribuit natura puellis,*

*Hic neq; amor certus, certa neq; ira manet.*

*Tu modò non cuius animi concrede dolorem,*

*Improba ne lachrymis gaudeat illa tuis.*

*Dissimula vultu, quamvis cor astuet intus :*

*Hoc iuuat: hoc unum corda superba domat.*

*Nec tamen ingrata solus, Ligurine, puella,*

*Si te forte iuuat dama aliena, doles.*

*Nosq; utinam numero non censeremur in isto,*

*Hoc mihi, si cuiquam, iuuat Cythera daret.*

*Vni qui etatem potui seruire puellæ,*

*Quanta vix quisquam seruuit ante fide.*

*Sed sterili infelix mandaui semina terræ,*

*Et longè elusit spem seges illa meam.*

*Ergo deieclō quoties incedere vultu*

*Speculas in solis me, Ligurine, locis:*

*Non ego tum cœli sublimes metior orbes,*

*Nec studeo rapidi noscere solis iter.*

*Nec vaga crescentis contempnor cornua Luna,*

*Aut mundum ex atomis condo, Epicure, tuis:*

*Lydia me torquet, quæ nostri oblita suiq;*

*Audet nescio quem præposuisse mihi.*

*Lydia me torquet, quæ utrumquis dormit in aurem,*

*Sollicitant surdas cùm mea verba fores.*

*Sed puer hic geminis non frustrà pingitur alis,*

*Errat, & instabilem quælibet in aura rapit.*

*Tu, qui*

*Tu, qui nunc regnas, vento ne fide secundo,  
Cras mea forsan erit, qua modo tota tua est.*

## ELEGIA X.

**Q**uid deploratē produco tempora vitæ,  
Et graue in occulto pectore vulnus alo?  
Saxa magis prouum est, et duras flectere cautes,  
Quam dominae mentem perdomuisse mea.  
Donec spes aderat melius fore, pectore firmo,  
Quicquid iussisset fors inimica, tuli.  
Nunc confecta sua quasi spes quoq; cassa senecta  
Languet: ea extincta vivere pena mihi est.  
Cur moror aut rapidas præceps dare corpus in vandas,  
Aut rigido infelix ensè aperire latus?  
Inueteratum aliter non est deponere amorem,  
Vna super tanti est hæc medicina mali.  
Sed neq; tu cineri insultabis perfida nostro,  
Namq; tibi hæc eadem fata minatur Amor.  
Quemq; tuo statu nigro demiseris Orco,  
Hunc miserata super mortua et ipsa cades.  
Callirhoe immitti maclanda erat hostia Baccho,  
Ni quem sacra suo sisteret illa loco.  
Hic qui pro miseraletum perferre puella  
Vellet, nec frater, nec soror nulla fuit.  
Solus amans, quamuis frustra, et despectus amasset,  
Pensauit iugulo fata aliena suo.

Quod factum illa tuens, serò infelicitis amantibus

Obsequia agnoscens, egregiamq; fidem:

Pectore transfixo super examinem reuoluta est,

Alteraq; ante aras viciima tristè ruit.

Ergo ego præcoci moriar: sanguissima, fato,

Inuidiamq; necis tu subitura meæ es.

Sanè equidem moriar: sed nec tibi longior ætas

Natur: mecum vna mors obeunda tibi est.

Quod si cuncte lucis tenebris amore,

Tum faxo grauior sit nece vita tua.

Nam siue optata iaceas deuicta quiete,

Exutiam somnos tactilis umbra tuos.

Seu vigiles, ante ora tibi obuersabor apertus,

Et quocunq; ieris ossus ibo comes.

Interdum occultus clara te voce ciebo,

Interdum et) plagas experiere meas.

Tum tu præteritos damnabis conscientia fastus,

Plorabisq; meæ causa fuisse necis.

Tum manes placare meos, lustrareq; puro

Sulphure deuotos aggredire lares.

Nequiquam: magni siquidem rea criminis, Orco

Sontem animam debes, sacrilegumq; caput.

Illic neglecto pœnas dabis, improba, amori,

Illic fert meriti præmia quisq; sui.

Illic sopitos ausæ iugulare maritos,

Bellides æternis colla premuntur aquis.

Illic Ixi-

Illic Ixion Iouis insidiatus amori,  
 Districtus rapidae vertitur orbe rotæ.  
 Sisyphus ingenti saxo obluctatur, at illud  
     A summo montis vertice ad ima reddit.  
 Corpore tota nouem complexus iugera, auaram  
     Fœcundo Tytius pectore pascit auem.  
 Illic te sis tas & tu periura necesse est,  
     Auctura infames umbra nocens numeros.  
 At me, qui ad Stygias descendō innoxius undas,  
     Consecrata piis manib. arua manent.  
 Nullus ubi auditur luctus, nulliꝝ labores,  
     Sed choreæ, & cantus, & loca amæna vigent.  
 Hic denso in populo, superata Leucade Sappho,  
     Mellifluo dulces fundit ab ore sonos.  
 Aſſidet huic viridi præcinctus tempora lauro,  
     Orpheus, & cytharæ fila canora mouet.  
 Aſſidet & Latij lumen Lucretius orbis,  
     Contrà, quām chartis prodidit ipſe suis.  
 Adstant mille alii, fugientes tædia vita,  
     Qui manib. debent ultima fata suis.  
 Hæc loca me acceptura, diem cum clausero summum,  
     Spem mihi dat pietas, integritasq; mea.  
 Ne mihi, ne placeat sapientia, funere eodem  
     Impia quæ corpus stingui, animumq; putat.  
 Immunesq; deos habitare suprà ætheris oras,  
     Resq; hominum casu, non ratione regi.

Vmbra.

*Umbra suo quoties sedit manifesta sepulchro,*

*Verbaqz non dubio fudit aperta sono.*

*Per purum quoties deus aethera præpete curru*

*Intonuit qz vehens, admonuit qz sui.*

*Ille domat magnis confisum viribus, ille*

*Adflictum terræ lucida ad astra vehit.*

## E L E G I A XI.

**A**b Ioue Maeonides mitti quoque somnia dixit:

*Ab Ioue credo mihi somnia missa mea.*

*Nox erat, et passim per terras fusâ iacebant*

*Corpora, fossa pigro corda fouente deo.*

*At mea peruigiles mordebant pectora curæ,*

*Somno sollicitum defugiente torum.*

*Tandem surgentis cum fulsit lucida Phœbi*

*Lampas, complexa est me quoqz sera quies.*

*Hic mihi se in somnis humana maior imago*

*Exhibuit specie: credo fuisse deum.*

*Hic me ita compellat, vñ<sup>2</sup> tu, inquit, compede fracta;*

*Et tandem excusso liber abire iugo:*

*An carpi mavis aternis pectora curis,*

*Et miser in duro viuere seruitio?*

*Si bene pert&sum est dominae crudelis, et arcto*

*Exolui nodo cor aliquando cupis,*

*Me sequere, assertor vni tuus: Annuo dictis,*

*Et præcedentem corde volente sequor.*

*Ire mihi*

Ire mihi interdum pedibus, quandoq; videbar

Nare supra terram more volantis avis.

Ergo nihil cunctati in montem euasimus altum.

Porrectus rapidis imminet ille fretis.

Hic me dux rursum meus ille affatur: habesne

Dicere, fixa quibus stet tua planta locis?

Leucates mons hic antiquo nomine fertur,

Hosq; vocat fluctus nauita Leucadios.

Legem disce loci: longi quem tædet amoris,

Hinc salit, & vicio soppes amore redit.

Deucalion testis, qui Pirrhæ incessus amore

Hinc se iecit, & iis est reuelatus aquis.

Fecit idem Cephalus: Cephalo quoq; saltus hic idem

Profluit, & mersus pectore fugit amor.

Tu quoq; ne dubita placidis te credere ventis,

Hoc saltu nulli fas periisse viro est.

Cessas? at quoq; sis audientior, hic quoq; dici

Dux tuus hand renuo, tu comitare ducem.

Hac fatus saltum ipse dedit, meq; impulit unā:

Dum cado, visa mihi dispulit illa metus.

Hic mihi cor trepidare illo ex terrore videres,

Et sudare artus, & riguisse comam.

Vt me collegi, sensumq; animumq; recepi,

Somniaq; expandi terq; quaterq; mea:

O gemitus miserate meos, quicunq; deorum es,

Sis, inquam, felix, & rata visa face.

## ELEGIARVM

*Dijis haud auer sis etiam per somnia fas est*

*Desungi fati sorte premente grauis.*

*Cum maestanda esset castæ Iphianassa Diana,*

*Virgo volente dea cæde redempta fera est.*

*Virgo redempta fera est : me saltu somnia soluant,*

*Victus Actæa sit meus ignis aqua.*

*Tu quoque caruleis dea prognata æquoris tendis,*

*Incipe iam lachrymis æquior esse meis.*

*Incipe præsidium lenti deducere amoris*

*Corde meo, atque alio traiice signa tua.*

*Pars quota, d. ua, tuis liber decessero regnis,*

*Sic gutta Ionio deperit una mari.*

*Namq; tibi noua plebs semper, semperq; iuuentus.*

*Succrescit, quæ ultro sub tua iura venit.*

*Hinc tu supplementa pete, hos fulgentib. armis*

*Cinge, doceq; artes imperiosa tuas.*

*Me veteranum, hostisq; etiamnum cuspide fixum*

*Fas sit ad antiquos arma referre lares.*

*Nunc domitus longo Cæsar quoque dicitur æuo*

*Sceptra senescendi deposuisse manu.*

*Et frena imperij fratri cessisse regendi,*

*Ipse senectuti consoluuisse suæ.*

*Qualis ubi extremam videt aduentare senectam,*

*Abstinet Eleopuluere fortis equus :*

*Ne partam amittat laudem: palmasq; priores,*

*Quas meruit campis victor Olympiacis.*

Opa-

O pater, ô rerum columen sublime cadentum,

Ô armis nunquam debilitata manus.

Tu priscam imperij maiestatemq; decusq;

Consilij poteras restituisse tuis.

Tu Rhenum, & fractis domuisti cornib. Albim,

Cum supra ripas iret vterq; suas.

Idem veliferas duxit trans aquora classes,

Et posuisti Afro clara trophya solo.

Ultraq; Herculeas findens vada salsa columnas,

Iunxisti imperio regna remota tuo.

Fu bello inuictus: tu clemens hostib. ipsis,

Non Gallus, non hoc Saxo negare potest.

Nunc vita, laudisq; satur supra magna quieto,

Expectas animo fata, diemq; tuum,

Qui te haud inuitum mortali hoc carcere soluat,

Et nitida summi sistat in arce poli.

Magnus ubi Alcides, ubi Liber, ubi ipse Quirinus.

Purpureo succos nectaris ore bibunt.

At nos nec senium, tua nec deflebimus offa,

Nam meritis viues omnia secla tuis.

# Io. COCHANOVII

## Elegiarum liber III.

## ELEGIA I.

Ursus ad armaredis pharetrati mater A-  
 moris,  
 Nulla tibi mecum pax diurna  
 placet.  
 Vix bene convuluit primo de vulnere  
 pectus,  
 En iterum secus cor mihi fixit Amor.  
 Parce, precor, prima ludum reuocare iuventa,  
 In janisse semel sit, Cytherea satis.  
 Non ego dum lucem cristatus prouocet ales,  
 Aptus ad oclusas iam vigilare fores.  
 Calcibus aut crebris inimicos tundere postes,  
 Et nunc blandicias, nunc adhibere minas.  
 Hac fieri potuere olim, maturior etas  
 His alios mores postulat, studia.  
 Ecce parat bellum Riphais flebile Moschis,  
 Et pia pro sociis Rex meus arma mouet.  
 Flos illum Arctoae pubis comitatur euntem,  
 Sub pedibusq; virum conscientia mugit humus.  
 Jamne tibi ad liquidas commissa Borysthenis undas  
 Exciderant animo pralia, Mosche ferox?  
 Nec

Nec Starodubæas meministi, perdite, clades!

At qui putris adhuc ossibus albet humus.

Flecte pedem retro, si quid sapis: ille tibi idem,

A quo iam totius viclus es, hostis adest.

Nec numero confide, aut turbæ duxtor inertis:

Fortis querenda est, non numerosa manus.

At mihi nil opus est externum querere bellum,

Intus adest hostis, qui mea corda ferit.

Hic male defendit clypeus, male tela, male enses,

Nec profunt vires, nec ratio nulla fugæ est.

Tu tamen, o pro qua bellum gerit ipsa Dione,

Pasiphile, paci non inimica veni.

Non ego sum ex illis, qui dum potiantur amore,

Fallendos adhibent in sua vota deos.

Eraus mihi nulla placet: falsò periuria amantum,

Iactatur surda negligere aure deus.

Tu mihi, si tantum non dedignaris amari,

Usq; ad supremos cura fatura rogos.

Tu domui præsis, tibi res mea seruiat unius:

Quantulacunq; quidem est, seruiat illa tibi.

Nauiget alter Athon, pedibus mare calcet equorum,

Ebiberat & fluuios, si libet, & maria.

Dum modò tu faueas, dum sit tibi mutua nostri

Cura, nihil regum splendida sceptra moror.

Tecum nec duro glebas inuertere aratro,

Nec graue pascentes sit comitare greges.

Quid me perpetuis iunat empta pecunia curis?  
 Aut quid Erythraeo concha reperta salo?  
 Sollicitis animis auri vis nulla medetur,  
 Omniaq; incerto fors leuis orbe rotat.  
 Tecum, Pasiphile, liceat mihi viuere, & olim  
 In gremio vitam deposuisse tuo.

## ELEGIA II.

**N**On ego caelestes animos, fatiq; labore  
 Conscia, Myscoui, sydera nosse mei.  
 Vel non consultis manifeste cernitur astris  
 Occasum fato quenq; manere suum.  
 Scrutari ulterius neque fortasse expedit, & dii  
 Nota homini nolunt consilia esse sua.  
 Vt cumq; approparet vita mihi ponere finem,  
 Spes non præuertet mors inopina meas.  
 Non ego magna auido concepi pectore regna,  
 Sollicitant altos nec mea vota deos.  
 Paupertas mihi chara mea est: hac gaudeo tanquam  
 Si potiar regnis, Cræse beate, tuis.  
 Qui volet obseruet cunctantum limina regum,  
 Qui volet indomitum per mare lucra petat.  
 Pauper ego modicam versabo vomere terram,  
 Et iaciam fida semina certa manu.  
 Spe fruar interea, donec flauentia messor  
 Falce sub æstiuum demetat arua canem.

Dii, qui-

Dii, quibus agrestes libamus dona coloni.

Custodite mei iugera pauca soli.

Ne teneras fruges immixta frigora ledant,

Neu rapidi Soles, neu nimia hymber aqua.

Sed quæ mollitis credentur semina fulcis,

Restituat magno fœnore gratus ager.

Ac mihi tum, pleno confisus deniq; aceruo,

Securum sedeat rusticus ante focum.

Et consueta agit et festa conuiuia luce,

Nec pudeat potos non bene ferre pedes.

Huc, si quando voles urbis vitare tumultus,

Myscoui, rapidis effeda flecte rotis.

Liminaq; exigu; dines ne despice teclis:

Absq; suo non est t) casa parua Lare.

Auro conspicuos alibi mirabere postes,

Parrhasiūq; manum, viuaq; signa Scopæ.

Hic te blanda quies, hic atia longa manebunt,

Et faciles mensæ, nec male gratus ager.

Hic dulces auium cantus, aureq; salubres,

Per spicuiq; lacus, umbriferumq; nemus.

Hic t) Pan facilis: seu ponere retia ceruis,

Seu calamo ignaram figere malis auem.

Pasiphile in totum quicquid congesserit annum,

Effundet paruos te subeunte Lares.

Cœnantisq; tuos seruabit sedula nutus,

Et tibi libato vina dabit calice.

Et pars.

Et paupertati veniam petet ore pudenti,  
 Adpositura ipsam, si foret, ambrosiam.  
 Non male vixerunt et tum, quo tempore terris  
 Nullus adhuc auri diuitis usus erat.  
 Nemo potens, pauperne fuit: iustissima victum  
 Omnid. ex aequo sufficiebat humus.  
 Lis nulla ambiguis de finib. iraq. nulla,  
 Nec celeres hastae nec ferus ensis erat.  
 Sed postquam in lucem malefidum prodiit aurum,  
 Prodiit et scelerum mater auaricia.  
 Hinc sublata fides: subierunt furta, rapinae,  
 Insidiae, fraudes, toxica, bella, neces.  
 At mihi paupertas vel ob hoc laudanda videtur,  
 Quod nec fur illi, nec ferus hostis obest.  
 Noctiuagos inter vadit secura latrones,  
 Nullas insidias, nullaq. damna timet.  
 Deniq. nec mortem: nec enim, quæ linquere durum est,  
 Regna sibi, aut magnas accumularat opes.

## E L E G I A III.

**V**llane mi est oritura dies tam candida, cum tu  
 In gremium venias, pulchra puella, meum?  
 An frustra spero, et superis vota irrita iacto?  
 Tu vero alterius cura futura viri es.  
 Ante lapis siam precor, et vento obvia cautes,  
 Aures quam rumor vulneret ille meas.

Ut voler

*Vt volet obſſtat fors noſtriſ inuidia ceptis,*

*Ne tantum affenſu me premat illa tuo.*

*Hac ego ſpe curas, tamen vitam tempero amaram,*

*Quae mihi ſi eripitur, vita quoque eripitur.*

*Alter opes cumulat, congeſtoq; incubat auro,*

*Alter ab emerito magnus honore venit.*

*Ille refert clarum deuictō ex hōſte triumphum,*

*Eloquii fretus virib. ille fui eſt.*

*Cuncta ego poſt poſui ſperato, lux mea, amori,*

*Tu mihi opes, tu laus, tu mihi ſola decus.*

*Multa quidem miſero timeas in amore neceſſe eſt,*

*Sed nihil ut timeas, ipſa moleſta mora eſt.*

*Annum non curſu metimur Solis amantes,*

*Aut piēti obliquo tramite ſigniferi :*

*Hora anni inſtar habet : ut mirum non ſit amantes*

*Pallere, atq; albiſ ante diem ire comis.*

*At tu, quae noſtrum potes una leuare laborem,*

*Ne me tam longa perde, puella, mora.*

*Inuideant licet, atq; adeò rumpantur iniqui,*

*Si modo tu una faues, res mea tuta ſat eſt.*

*Vna faue tantūm : fruſtrā pugnatur Amori,*

*Non erit infectum, quod fieri ille volet.*

*Formosam pulcher Zariadres arſit Odatim,*

*Quam tantūm in ſomniſ viderat ante puer.*

*Arſit Odatis item forma inſignem Zariadrem,*

*Quem tantūm in ſomniſ viderat ipſa quoque.*

*Ardebant paribus flammis, spaciisq; locorum.*

*Dismis̄tos animis consociarat Amor.*

*Regium utriq; genus : rex ortam regib. ambit,*

*Unica sollicito nata erat illa patri.*

*Hoc nocuit : pater externos spreuit Hymeneos,*

*Anata impatiens dis̄itus esse sua.*

*Ergo sibi generum propiorem adsciscere querit,*

*Ad saceri semper qui queat esse latus.*

*Sperat idem nat& cordi fore : nescius illam.*

*Despecti iuuenis clam lachrymare vicem.*

*Nec mora, adornari medijs conuiuia teclis*

*Promiūq; aulaea, & gemmea vasa iubet.*

*Principibusq; viris, & regni flore vocato,*

*Hac nuptura, inquit, filia nostra die est.*

*Quare hilares, latiūq; toris discumbite pictis :*

*De genero verbum non facit ille suo.*

*Virgo quoq; ignorat sponsum : flens perdita crinem*

*Comit : flens pictos induiturq; sinus.*

*Interea dapibus mensa cyatisq; struuntur,*

*Argutumq; canit carmen eburna chelys.*

*Postquam prima fames, & amor dape vietus edendi,*

*Sponsa accersitur, femineusq; chorus.*

*Contremuit virgo, & magis ipso expalluit auro,*

*Aurib. ut timidis iussa paterna bibt.*

*Surge, patriūq; volens morem gere : non feret ille*

*Ferrenus inuiso te sociare viro.*

*Surgit,*

Surgit, cunctantiq; mouet vestigia passu,

Ignosq; pudens sifitetur ante viros.

Qualis matutina vagi prænuntia Solis

Eo surgens cardine stella nitet.

Affurgunt proceres, formæ & mirantur honorem:

Tum Rex complexus natam ea verba dedit.

Nata, tuis hæc sunt coniuicia vota Hymenæis:

Quare quæ dico, pectore conde tuo.

Hic iuuenum flos est, & regni gloria nostri,

Hos animo, atq; oculis perlege, nata, tuis.

Post phialam capito, & spumantem munere Bacchi,

Elige, cui tradas, vir sit ut ille tuus.

Hæc pater: illa oculos circumfert agra dolentes,

Toto animo pendens è Zariadre suo.

Ad quem clampus erum premiserat anxia fidum

Extremi ut ne esset nescius ille mali.

Ad Tanaim iuuensis tum castra ignarus habebat,

Cum tetrici didicit tristia cæpta senis.

Nec mora, currus equis committitur: arduus ipse

Hortatu celeres, & stimulo urget equos.

Quadrupedes rapido properant violentius amni,

Pulueris insequitur cana procella rotas.

Iam Sol occiderat, cæliq; extrema rubebant,

Et prima obscuræ nox agitabat equos.

Ipse quoque ad portas optatæ exponitur aulae,

Et subit ignoto regia teclapede.

Atria collucent flammis, nox pellitur igni,  
 Colloquiusq; virum personat ampla domus.  
 Villa neque interea est cyathis mora : plurimus auro,  
 Plurimus argento nat radiante deus.  
 Spes iuuenum arrectæ : votis cytheræa vocatur,  
 Quæq; præst castis regia luno toris.  
 Ad pluteum lachrymis stillantib. anxia stabat  
 Virgo, pigram scens tristia vina manu.  
 Postquam agnouit amans vultus per somnia visos,  
 Proximus aduersum virginis ora stetit.  
 Tone metum : tuus, inquit, Odati, adsum Zariadres,  
 Ad vocem vultus sustulit illa suos.  
 Formosumq; tuens iuuenem, atque habitu oris eodem,  
 Noctu illa adparens qualis imago fuit :  
 Gauisa ex animo est, calicemq; illi obtulit aureum,  
 Seq; haud inuitam præbuit ipsa rapi.  
 Dum pater expectat, dum serui dicere mussant,  
 Raptorem celeres abstuleratis equi.

## E L E G I A IV.

**Q**uartus, ni fallor, Tecini, hic vertitur annus,  
 Externo ut longas ducis in orbe moras.  
 Ne tamen ad patrios remeaueris antè penates,  
 Quam fines magna videris Hesperia.  
 Tu licet omne obeas iter experientis Ullsei,  
 Errauit vasto quid tuo lustra mari :

Et quæ

Et quā Peliaca primus trabe nauit Iason,  
 Dum petit auratae nobile vellus ouis:  
 Cultius Ausonio nil Sol vagus aspicit orbe,  
 Oceano surgens, Oceanumq; petens.  
 Hec neq; frigorib. loca, nec lēduntur ab æstu,  
 Flamma gelu, flamas mista retundit hyems.  
 Respondent fœcunda astris clementib. arua,  
 Plurimaq; agricolis munera sponte ferunt.  
 Hec est pampino tellus aptissima Baccho,  
 Hic venit exiguo culta labore Ceres.  
 Pomifera surgunt sylvae, paſſimq; per agros,  
 Ostentat densas Pallados arbor opes.  
 At cum Gorgoneum ferret caput aethere Perseus,  
 Dirus in Ausoniam non pluit hymber humum.  
 Quare hic nec longam traectu draco signat arenam,  
 Nec sitit vndantem torrida Dipsas aquam.  
 Tinguia non metuunt vlos armenta leones,  
 Carpunt securi pascua leta greges.  
 Huc aptum accedit mutandis mercib. æquor,  
 Quod latus Ausonij claudit vtrumq; soli.  
 Accedunt crebri portus: ubi tutus iniquos  
 Audit nauta Notos, horrisonumq; mare.  
 Sed neq; ceruleis agros lambentia lymphis  
 Flumina fas fuerit præteriisse mihi.  
 Et Tyrrhena quidem Vulturnus in æqua præcepit  
 Labitur, et Sarnus, perspicuusq; Siler.

Tum Liris, tum Macra rapax, tum corniger Arnus  
 Et mestas voluens nunc Tyberinus aquas.  
 Parte alia Adriacas latè subit Aufidus undas,  
 Et Senna, & sociis auctius Isaurus aquis.  
 Et cum Crustumio velox fugiente Methaurus,  
 Et qui fluminib. iura dat Erydanus.  
 Adiice Benacum, piscofumq; adiice Larim,  
 Iunctaq; Tyrrheno stagna Lucrina freto.  
Quid tibi nunc validis inclusas mænibus urbes,  
 Quidue tot egregios commemorem artifices :  
Quid tabulas, & signa? quid aurea templa deorum,  
 Totue operum moles, Pyramidumq; minas ?  
Hæc est illa parcns veterum memoranda Quiratum,  
 Hæc virtutum altrix, imperiuj domus.  
Hæc fortem domuit Pirrum, Pænumq; ferocem  
 Fregit, & ingentem contudit Antiochum.  
Quaq; dies surgit, quaq; altis mergitur undis,  
 Subiecit virginis omnia regna suis.  
 Sed quid tempus edax longo non conficit aeo ?  
 Quid non vel summum carpit auara dies ?  
Illa deum sedes, orbis caput, aurea Roma,  
 Vix retinet nomen semisepulta suum.  
Nempe hæc humanis dicta est lex aspera rebus,  
 Ut cum summa tenent, rursus ad imaruant.  
Quod fatum Roman quoq; contigit: ut neq; regna  
 Urbesq; extrema morte vacare sciæ.

Fama

Fama tamen viget, et gestarum gloria rerum,  
 Omnes per terras, et freta cuncta volat.  
 Dumq; recurrentes voluet Sol igneus annos,  
 Plenus Romani nominis orbis erit.  
 Hec tibi, Tecini, si quid generosa tueri  
 Mens auet eximium, sunt per agranda loca.  
 Quo cum peruenies plura, et maiora videbis;  
 Quam mea Musa ruditis commemorare valet.  
 Heu miserande puer, non tu amplius Itala regna,  
 Aut patriæ afficies arua beata tuæ.  
 Nam cum promissam regum de sanguine sponsam  
 Per maria alta petis, captus ab hoste fero es.  
 Hinc dolor, hinc furia accensæ infelicitis amoris.  
 Hinc mors precipiti dira sequuta pede est.  
 Non talem infelix mater te, nate, manebat,  
 Vrgens in redditum munera cæpta tuum.  
 Sed curru inuectum sublimi, unaq; puellam,  
 Insignem, qualis trans mare digna peti.  
 Nunc illa exangues artus souet, ossaq; nuda;  
 Et tibi pro thalamo tristia busta parat.  
 Heu quo spes nostræ recidunt: quo pia vota!  
 Tot bona tam paruo clausa iacent tumulo.

## ELEGIA V.

**E**X Helicone tibi florentem apporto coronam,  
 Padneui, Aonidum cura, meumq; decus.  
 Fas mihi sit sacram pura contingere dextra  
 Cæsariem, et merita cingere fronde caput.

Ecquis

*Ecquis in hoc hominum plausu, & clamore secundo*

*Expers latitiae peccus habere potest?*

*Quis te, Padneui, cui sit tua cognita virtus,*

*Non titulis auctum gaudeat esse nouis?*

*Ipse tuos equidem Titan visurus honores*

*Emicuit rapido purior Oceano.*

*Nulla diem obfuscat nubes, fera murmura cessant*

*Ventorum, & rauci concidit unda maris.*

*Rura vacant, posito requiescit taurus aratro,*

*Lux agitur cunctis nomine festa tuo.*

*Me quoq[ue] nescio quis stimulat calor intus obortus*

*Lucem Pieris hanc celebrare modis.*

*Nene loci ignarus delatus in aua turber,*

*Per planum virtus me tua ducit iter:*

*Nocturnum veluti lumen, quod nauita seruans*

*Attigit in columni littora tutu rate.*

*Nam tu non is eras, qui longo stemmate velles,*

*Aut sola niti nobilitate patrum:*

*Sed quam conspicuus maiorum laude tuorum es,*

*Tam clarus meritis diceris ipse tuis.*

*Nec tu aliud versas animo noctesq[ue], diesq[ue],*

*Quam decus, & patriæ commoda pulchra tua.*

*Discendi cupidus per agrasti plurima regna,*

*Nec te difficiles detinuere via.*

*Quæq[ue] aliis luxu, somnoq[ue] effluxit inertis,*

*Artib[us] ingenuis culta iuuenta tibi est.*

*Quod*

Quòd si antehac fuit ignotum quantum addita posset

Ars etiam in summis efficere ingenii:

In te perspicuum est: quem mentis acumine forsan

Alquiparare aliquis, vincere nemo queat.

Eloquio præstas Ithacum: neq; gratia maior

Nestoris antiqui fluxit ab ore sacro.

Ac veluti Tygres, & flumina Thracius Orpheus

Aonia fertur detinuisse lyra:

Sic tua mellifluis manans facundia verbis

Quamlibet inuitos in sua vota rapit.

Hac fretus venisti Italas orator ad urbes,

Et quam magnanimi Cæsar is aula patet.

Atq; hac suada tuo regnauit semper in ore,

Vt fueris voti compos ubiq; tui.

Sed neq; te belli prorsus fortuna manere

Expertem passa est, militiæq; rudem.

Nam cum succensus iusta rex maximus ira,

Liuonum hostiles aggrederetur agros:

Tu quoq; carentes aquilas, & signa sequutus

Affiduè fido iunctus eras lateri.

Ergo te meritis Augustus honorib. ornat,

Et nunc consiliis vtitur ille tuis.

Quam vero humanum, quam te matem, atq; benignum.

Fortunæ summa celsus in arce geras:

Expertos audire iuuat: vt cetera tantum

Admirari homines, hoc & amare scias.

## ELEGIARVM

Sed me deficiet latus, et vox ipsa, priusquam  
 Rite queam laudes enumerare tuas.  
 Nec mea Musa potest tantum se attollere in auras,  
 Ut virtute tua non eat inferior.  
 Quare illud restat, delatos ut tibi honores,  
 Padneui, faustis accipias aubus.  
 Te salice euincius flauos pater Ista crines,  
 Iam pridem vitreo latus, ab amne vocat.  
 Amplius o Padneui, hominum ne vota morare,  
 Praemia pro meritis digna habiturus, ades.  
 Te Craci media urbe manet pulcherrima sedes,  
 Et vincitura tuas stemmata sacra comas.  
 Te cupiunt spectare boni : tibi debita plenis  
 Maiades Ista & dona ferunt calathis.  
 Omnia virtuti debes : nil contulit in te,  
 Amissis colitur quæ dea luminibus.  
 Quaq[ue] arte est tibi partus honos, retinendus eadem est.  
 Nec tibi, Padneui, degeneri esse licet.  
 Inuigila, immitesq[ue] lupos ab ouilibus arce,  
 Insita quos rabies exstimulatq[ue] famæ.  
 Pacem redde bonis : pacis Deus autor, at omne  
 Discidium populis ex Acheronte venit.  
 Dixerat : nuda statim dextra leuaq[ue] recceſſit,  
 Et visa accepto est intumuisse deo.

## ELEGIA VI.

Quam,

QVam, mea vita, diu questus iterabis amaros?  
 Albentes lachrymis inficiesque genas?  
 Sanguis hic est noster, tua quem lachrymosa remittit.  
 Lumina: quo manant purpurea ora tua.  
 Nox, atque astrorum picto seges aurea cælo  
 Testis, amore mihi nul prius esse tuo.  
 Nec si Heroinas adducant secula priscas,  
 Te præter cordi chara fit villa meo.  
 Sed quicumque, ille est, qui, picto crimine, apud te  
 Ausus, vita, meam est insimulare fidem:  
 Te lesam haud doluit, sed nostrum inuidit amorem,  
 Deuotus fidis hostis amicitiis.  
 Dignus, qui veros nunquam experiatur amicos,  
 Cuiq, Amor, et cui sit semper acerba Venus.  
 Quemque, die, ac noctu cuncti execrentur amantes,  
 Et cui non villa detur in urbe locus.  
 Tene ego neglecta, alterius me dedere amori,  
 Et possum ignoto tradere colla iugo?  
 Nec tua me mansuetudo, moresque modesti,  
 Aut teneat candor pectoris ille tui.  
 Nec, quod munericibus saepe oppugnata potentum,  
 Aspernata meam non es amicitiam.  
 Maluerisque, casa mecum requiescere in arcta,  
 Ostrino alterius quam recubare toro.  
 Tunc ego sim dignus furiæ seruire Megære,  
 Pectereque implicitas angue frequente comas.

Tunc sim Cyrcæo stabulari dignus in antro,  
Atq; in setosas degenerare feras.

At tu mendaces ne admiseris aure susurros,  
Sed sine eos ventis trans maria alta rapi.  
Deq; fide nostra nihil addubita cris unquam,  
Quæ fuit, hæc eadem est, atq; ea semper erit.  
Procridi credulitas nocuit sua: ne temere aurem  
Des cuiquam, Procris suspiciofa monet.

Nec tu nos aliorum ex moribus æstima amantum,  
Quorum culpa ales fingitur ille puer.

Quiq; velut pelagi fluctus, variantibus auris,  
Nunc hoc, nunc illud plangere littus amant:  
Diuiduum pectus natura mihi abnuit: una  
Hac arsura face est vitaq;, morsq; mea.  
Quin ubi supremis moriens concessero fatis,  
Cæca tui oblitus non ego regna petam.

Philacidæ potuit vitam, non quiuit amore in  
Eripere, hostili mors inimica manu.

Nam Stygias vales, nigrasq; emensa paludes,  
Nocturna Aemoniam venerat umbra domum.

Uberibusq; fluens lachrymis tibi, Laodameia  
Infelix, fata est questus acerba sua.

Prensatusq; manu semper, nebulæ instar inanis,  
Elusit tactus stridula imago tuos.

Sic neq; morte ipsa curas finimus amoris,  
Et vetus obscuris manibus ignis ineft.

## ELEGIA VII.

Quantum, Ossolini, tibi debeo, si cupiam vel  
 Maximè, opis non est persoluisse meæ.  
 Idquiafatebuntur nostræ sine fine Camæna,  
 Intima dum sanguis nutrit ossa mea.  
 Tu quoque, si fas est, cum me mea fata vocabunt,  
     Hæc superesse mihi carmina, Musa, velis.  
 Ne veniens etas studium illius, & benefacta  
     Ignoret, sed eum fama loquatur anus.  
 Nam cum me duplex pestis subito inuassisset,  
     Duraque paupertas, nec tolerandus Amor.  
 Ille laboranti succurrit primus amico,  
     Nec me est in duris passus egere locis.  
 Tentauitque vias omnes, si forte mederi  
     Errori posset, stultitiæque meæ:  
 Sed tum tanta meas torrebat flamma medullas,  
     Quanta aut AEtna ardens, aut Aponi vnda calet.  
 Ac veluti loton gustasse, herbasque tenaces,  
     Nulla mihi in patriam cura redire fuit.  
 Te quoque captum diuinitus formæ mortalis amore  
     Pauisse indomitas, pulcher Apollo, boues.  
 At certe herbarum vires, artemque tenebas,  
     Quæ curat morbos, corporaque egra leuat.  
 Scilicet inuenias cunctis medicamina morbis,  
     Solus Amor medica non relevatur ope.

Atq[ue] aliquis Delphos scitatum oracula venit,  
At tu habitas vitem, rustice Phœbe, casam.

Quo minus AEmonius fuerit culpandus Achilles,  
Quem hic idem erepta coniuge torfit Amor.

An quia, perfide, ait, rerum tibi credita summa est,  
Formosas ideo solus, Atrida, feres?

Et repetet raptas communi Gracia bello,  
Te duce erit licitum nemini habere suam.

Ecce serox Hector toto dat funera campo,  
Spemq[ue], rates, reditus igne cremare parat.

Quin prohibes, flamas, & saeum comprimis hostem,  
An tantum in socios, improbe, fortis eris?

Talibus AEacides ira stimulante fremebat:  
Dardanidis vires Iuppiter ipse dabant.

Iamq[ue] Manatiades, fortem mentitus Achillem,  
Confliterat campo, terrueratq[ue] Phryges.

Sed male successere doli: nam, ceu cadit ingens  
Turris, ita Hectorea corruit ille manu.

Hostibus ex mediis vix corpus triste relatum est,  
Arma tulit victor, munera rara deum.

Fleuit Pelides amissu[m] tristis amico,  
Sed cæsum vlcisci non sinit ira vetus.

Nec prius Hector humum morituro dente momordit,  
Barbara quam domino serua remissa suo est.

Ergo si reges, magniq[ue] Herœs amarunt,  
Qualis amantis erit culpa putanda mea?

## LIBER III.

79

Cuius non galea teritur coma flava corusca,  
 Sed molles hederæ circumiere caput.  
 Nam cui non potuit deus huic quo obſistere pactio  
 Mortali gemitus ſemine poſit homo?  
 Nunc ad te redeo, cui me hoc detexere munus,  
 Grati animi indicium, Pieris alma iubet.  
 Dignus eras gemmis extremo Oriente petitus,  
 Cuiq; aurum pleno mitteret amne Tagus.  
 Dignus Parrhasii tabulis, et Mentoris ære,  
 Quas priſca obſtupuit Græcia delicias.  
 Sed bene conſuluit rebus fortuna puſillis,  
 Ut quæ ego non habeam, tu iis quoq; non egeas.  
 Ergo quibus gaudeſ, quæ me quoq; mittere fas eſt,  
 Carmina pro magnis accipe muneribus.  
 Pyramidas alii ſtatuant, ſtatuantq; Coloffos,  
 Incidant duris nomina marmoribus.  
 Saxa ruent annis, conſumet marmora tempus,  
 Muſarum nescit gloria ſola mori.

## ELEGIA VIII.

T Am longè diſtas à noſtriſ, Calore, terris,  
 Ut te hac leclurum vix aliquando putem.  
 Si quisquam tamen Arctois progressus ab oris,  
 Continget fauſtolittora veſtrapede:  
 Ille ut nulla mea reddat tibi carmina Muſæ,  
 Saltem in te noſtri teſtis amoris erit.

Et Li-

Et Liger, & Rhodanus nostrum sensere dolorem,  
 Cum liquenda mihi Gallica regna forent.  
 Sed domus infelix utroq; orbata parente,  
 Clara me in patriam voce vocabat humum.  
 Ne si cessasset paulum, velut alter Ulysses,  
 Cum vetulo quererer post mea dama cane.  
 Sed si Riphæos ultra quoq; Carole montes  
 Submouear, tecum pectore semper ero.  
 Nam mihi magnus amor, tuaq; est perspecta voluntas,  
 Hospes in externis dum vagus erro locis.  
 Te duce Aquitanos, & Belgica vidimus arua,  
 Extremoq; sitam littore Massiliam,  
 Celtarumq; domos: Et quæ magna insuit turbi  
 Ceruleus rapidis Sequana torticibus.  
 Hic illum patrio modulantem carmina plectro  
 Ronfardum vidi, nec minus obstupei,  
 Quam si Thebanos ponentem Amphiona muros,  
 Orpheauæ audisset, Phœbigenamue Linum.  
 Delinita suos inhibebant flumina cursus,  
 Saxeq; ad insolitos exiluere sonos.  
 Ille deum laudes, & pulchre commoda pacis  
 Sublato aethereis Marte canebat equis.  
 At nunc Herrico crudeli morte perempto,  
 Quas illum credam diffluere in lachrymas?  
 Non ita Cecropiis Ithylum maestissima syluis  
 Attica plorat aui, nec moribundus olor.

Ergo

Ergo cùm toties fortunam expertus utramq;

Gesseris audaci, maxima bella manu.

Cùm te in confertos toties immiseris hostes,

Tela pepercerunt, Rex animosè, tibi.

Nunc pace in media, cùm ludicra bella cieres,

Raptus es ad Stygias sanguinolentus aquas.

Nam caua quà spatio lumen galea accipit ardo,

Dira tibi aduersum perculit hasta caput.

Quid sperare minus poteras, quàm fine cruentis

Imposito bellis, sœua per arma mori?

Hostis nullus erat: sed nec prece victa, neq; auro

Nobiscum Clotho ferrea fædus init.

Cùm primum celeri desunt sua vellera fuso,

Vnum impetrari non sinit illa diem.

Quare si me humilem voluit fors inuida nasci,

Ditior ad Stygium non cupio ire forum.

Nec superi inuideant, si cura liber ab omni,

Et positis viuam sollicitudinibus.

Non curru, neq; equis cæcum veniemus ad Orcum,

Hic aurum, hic vestes, hic remanebit ebur.

Nos nudi, atq; inopes fatali naue feremur,

Irus ubi Cræso cum locuplete sedet.

### ELEGIA IX.

**A**N tu me cor habere putas, qui bella paranti

Imbelles versus dem, Radiuile tibi?

L

Aptior

## E L E G I A R V M

Aptior ensi erat fortasse hoc tempore, et arma

Qualia Pellide Mulciber ante dedit:

At si quid Martem potis est ultra arma decere,

Musa vel in primis hoc statuenda loco est.

Nam si nulla ferat praestans praeconia virtus,

Mercedem certe non tulit illa suam.

Quid de tot spoliis magno nunc restat Atridae,

Euera victor qua tulit urbe Phrygum?

Omnia victasitu et longa periere senecta,

Sola immortali carmine fama viget.

Quis Priamum, aut Priami natos, quis Nestora canum,

Aiacesue duos nosset, et Antilochum?

Inclitasi docti siluisset Musa poete:

Forte diu miscet Musa, vetatq; mori.

Te quoq; nequaquam tacitum, Radiuile relinquet,

Quisquis erit nostrae conditor historiae.

Nam dicenda ubi erunt magni connubia regis,

Et nunc Augusto Caesar, et ante sacer.

Primus tu occures, quo conciliante Polonis

Austria tam firmo fædere iuncta fuit.

Ille idem referens Liuonum hostilia tela,

Non poterit nomen præteruisse tuum.

Quantus et in Moschos ieris, cum barbarus hostis

Deieclus magna spe, haud aliter fureret,

Quam Telamonides olim, cum fortia magni

Præpta AEcidæ cerneret arma sibi.

Quod

Quòd si præsagus vatem non fallit Apollo,  
 Expectanda diu non erit illa dies.  
 Cùm, veluti ceruus claris latratibus actus,  
 Abiecto fugiet Moschus iners clypeo.  
 Non illum Tanais, Rhiphæaq; saxa tenebunt;  
 Non freta perpetua quæ abriguere gelu.  
 Ac tum, quæ populos expers maris aspicit Arclos,  
 Omnia regis erunt sub ditione mei.  
 Te Radiuile manet victori debita laurus,  
 Quam molli intexent Pierides hedera.

## ELEGIA X.

**I**nter tot, Myscoui, equitum peditumq; cateruas,  
 Obuia pontifici quæ tibi turba suo  
 Procescit, cupiens optatos cernere vultus,  
 Et dulci affatu participare tuo:  
 Idem me quoq; amor trans flumen Bugis amœnum,  
 Transq; tuum rorem, Vistula magne tulit:  
 Non grege seruorum, neq; pīctis conspicuum armis,  
 Sed cythara Phœbi, Pieridumq; choro.  
 Quēis ego me iacto, et quēis tantum glrior unus?  
 Quantum auro, aut priscais alter imaginibus.  
 Nam cum essem natus fortuna non ita in ampla,  
 Nec dictatorum dicerer esse genus:  
 Ingenio tamen, et Musarum munere clarum  
 Arctoo peperi nomen in orbe mihi.

Audiat hoc liuor: Musarum ego munere clarum  
 Arctoo peperi nomen in orbe mihi.  
 Has ego Myscoui, pro currib. atq; caballis  
 Confpectum adduco sedulus ante tuum.  
 Nec dubito, placido quin illas lumine spectes,  
 Ut quas tu semper visus amasse mihi es.  
 Sic euidem, ut neq; bella inter, variosq; labores,  
 Illarum exciderit pectore cura tibi.  
 Quas autem charas habuisti tempore duro,  
 AEquum est ut letis nunc quoq; rebus ames.  
 Ne videare hominum mores imitatus eorum,  
 Qui fortunæ altum cum tenuere gradum,  
 Amplius haud veteris meminisse videntur amici:  
 Sed querunt, quis sit, ducat & unde genus.  
 Hæc alios tangunt: de te nil tale veretur  
 Musa hedera molles cincta virente comas.  
 Quin tibi fortunam hanc stabilem, firmamq; precatur,  
 Utq; sit etati prodiga Parca tua.

## E L E G I A XI.

**V**Rbis amatori si nostra Thaleia videntur,  
 Stances filiae, tibi rustica, rure venit.  
 Atq; ea penè pedem porta reflexit ab ipsa,  
 Ob faciem rerum dum stupet insolitam.  
 Trudebat vulgus, trudebaturq; vicißim,  
 Hac pedites ibant, hac phaleratus eques.

Stride-

Stridebant serræ fabrūm, incudesq; fremebant :

Vt cùm tela loui Sicelis AEtna coquit.

Hæc mea Musa tuens, vt que nil tale per agros

Viderit, ad portas obstupefacta stetit.

Turba dilabente facis sub tempora primæ,

Vix tandem se curbi credere sustinuit.

Hac itaq; Oratrice vetus saluere sodalis

Te iubeo, siquidem Stancesilae vacas.

Quod si per curas operosæ non licet aulae,

Si saluere nequis, nempe valere potes.

Intempestiuè forsitan iocor: & tibi Moses,

Quispiam ad occlusas excubat usq; fores,

Nescio quid secretam instillaturus in aurem:

Quin tu te auritas dicis habere manus?

Quantum ad me, lectis sex versibus, omnia, quorum

Causa ad te missa est nostra Thaleia, scies.

Qualis amore ardens iuuenis, quem vespere primo

Aduentum iusit virgo manere suum.

Optat quampotius rutilum decidere solem,

Unumq; hunc votis credit obesse suis.

Interea media singit sibi somnia luce,

Spesq; potest animo vix capere ipse suas.

Iamq; cadit Phœbus, iamq; Hesperus ardet, & atrii

Surgunt occiduo cardine noctis equi.

At virgo nusquam est: modico si ianua vento

Concrepuit, dominam hic credit adesse suam.

*Et iam syluae omnes, & iam aquora seu quiescunt,  
Mortalesque oculos iam sopor altus habet.  
Hic vigilat solus, spes arcet credula somnos,  
Quae tamen occulte languet & ipsa metu.  
Hic ego sum, ne te longum morer, atque ita carpor,  
Pendens promissis Stances iliae tuis.  
Tu mentem indaga regis, sensusque latentes:  
Non mihi nil dederit, si citus abnuerit.*

## E L E G I A XII.

*E*quid ut ignotas ab ijs diuersus in oras,  
Ulla tibi nostri cura relicta manet?  
An velut ex oculis, sic & de pectore cessi?  
Nec libet absensis iam memenisse viri?  
Meceret, o mea lux, quanto via longius aufert,  
Tanto crudelis acrius urit Amor.  
Urbit, siue nouo prospexit Phœbus ab ortu,  
Seu rapidum pronus vergit in Oceanum.  
Et cum me placidis somnis complectitur alis,  
Astarte ante oculos mæsta videre meos:  
Quam vereor, mera ne tantum mihi somnia de te  
Sint reliqua, ast alter gaudia vera ferat.  
Nam quid agant isti, qui omnes venantur amores,  
Et famam inde sui nominis ire volunt?  
Ne quicquam Danaen seruabat ahenea turris,  
AErateque fôres, excubiæque canum.

Inuenit

Inuenit solers aditum per munera adulter,  
 Conuerti in preium cūm tulit ipse deus.  
 At tu nec gemmas, neq; tanti feceris aurum,  
 Ut subeas turpis crimina perfidiæ.  
 Non bene sub terris etiamnum Tyndaris audit,  
 Externa profugum classe sequita virum.  
 At pia Penelope toto laudabitur ævo,  
 Ne quicquam assiduis sollicita procis.  
 Strenuus ad Troiam bello incumbebat Ulysses,  
 Aut maris incertas puppe secabat aquas:  
 Illa astu pactos eludebat Hymenæos,  
 Incepsum reuocans callida semper opus.  
 Hanc tu imitata, fidem sancte cole, nec tibi lucra,  
 Pasiphile, fama sint potiora tua.  
 Lucra petens, urgente Noto mercator adaelius  
 Ad scopulum, surdo vota facit pelago.  
 Lucra petens lusor, sortem quoq; perdidit ipsam,  
 Et rediit nudus nocte silente domum.  
 Non me Sidoniis intextum vestibus aurum,  
 Aut pelago cœpit gemma reperta rubro:  
 Sed facies nullo externo quæsita colore,  
 Moresq; ingenui, purpureusq; pudor.  
 Hæc tenerum alliciunt, captumq; tuentur amorem:  
 Hæc si absunt, sordet purpura, sordet onyx.  
 Nec, si quam adspersit vita fama improba labem,  
 Tollere gemma nitens, piætæne palla potest.

Quod

*Quod si te hac in parte aliquid mea pagina lœdit,  
Da veniam: desit nunquam in amore timor.*

*Quem quidem ego facile esse mihi persuadeo vanum,  
Nec quid dicam habeo, cur metuam, nisi amo.*

*Nunc tu, dum Lituas percurro frigidus oras,  
Fac curam absentis, nos imitata, geras.*

*Et propone omnes venturum me tibi in horas:  
Et si pars tecum magna relicta mei est.*

## E L E G I A XIII.

**M**Vsa, relinquamus ripas Anienis amænas,  
*In sua me pridem Carpatus antra vocat.*

*Sarmatiamq; iubet patriis ornare Camænis,  
Si qua modo à nostro carmine fama venit.*

*Illam Lasciades spoliis meus ornet opinis,  
Cumq; Scythis nullo fædere bella gerat.*

*Spes nostra in calamo est Heliconiadumq; fauore,  
Hæc spolia, hic meus est currus, & arma mea.*

*Nec primus rupes illas peto. Reius eandem  
Instituit ante viam, nec renuente Deo.*

*Et meruit laudem, seu paruum fleret Ioseph  
Letho fraternal penè datum inuidia.*

*Siue Palingenii exemplum, Musamq; sequutus,  
Quid deceat, caneret dedeceatq; viros.*

*Concinit acceptos superis Tricesius hymnos,  
Linguarum præstans cognitione trium.*

*Et, quæ*

*Et, quæ de mundi perscripsit origine Moses,  
Ignota esse suæ non patitur patriæ.*

*Laude sua neq; Gornicum fraudauero: namq; hic  
Orphæa fingeit carmina digna lyra.*

*Germanosq; canit magno certamine victos,  
Committens lyricis Martia bella modis.*

*Me quoq; paulatim vestigia vestra sequutum,  
Vatibus annumeret Sarmatis ora suis.*

*Si mea nec liuor, leuis aut fiducia pennæ,  
Sed patriæ dulcis pectora versat amor:*

*Tum tu aspirantem non segnis ad otia vitæ  
My scoui, monitis parce tenere tuis.*

*Sed sine, quod reliquum est mihi temporis, exigere inter  
Socraticas Lauros, Pieridesq; meas.*

*Nil magnum affecto, nec spe mihi blandior ulla,  
Parua seges satis est fonsq; perhennis aquæ.*

*Qui sectantur opes, penetrant in viscera terræ,  
Aut ratib. curuis Indica regna petant.*

*Me iuuat immensi rationem inquirere mundi,  
Cursusq; astrorum perdidicisse vagos.*

*Cur Sol præcipitet gelida sub tempora brumæ,  
Nox contrâ, lenti pigra feratur equis.*

*Cur nunc exilis, nunc pleno appareat orbe  
Cynthia: quid stinguat lumina magna poli.*

*Quid generet nubes, liquidosq; in nubibus hymbres,  
Quodq; coruscanti fulmen ab axe venit.*

Vnde coloratus, cælum qui diuidit, arcus,  
 Vnde Aquilo, aut Eurus, qui maria alta domant.  
 Quæ vis commoueat terras, aut æquoris astus,  
 Fontibus, et fluuiis unde perhennis aqua,  
 Quo post fata animæ migrant. Sit Tantalus usquam,  
 Arida quem medio torreat amne sitis.  
 Deniq; sit ne æterna coruscî hæc machina cæli,  
 An cuncta ad primum sunt redditura chaos.  
 Hæc me vita manet, nisi quis deus obstat: auaros  
 Aurea non ægrè flumina habere sinam.

## E L E G I A X I I I I .

**B** Ella instant, Patrici: num nos quoq; bella sequemur?  
 Et dabimus duræ nomina militiae?  
 Illos bella iuuent, quos auri cuncta domantis,  
 Gemmarumq; famæ imperiosa tenet.  
 Me paruo assuetum, lituis procul, et procul armis,  
 Ad patrios fas sit consenuisse lares.  
 Igne ubi inextincto lucet focus, agricola māq;  
 Vbere solatur messe benigna Ceres.  
 Hic me vel vites, vel mollia poma serentem  
 Inueniat miles perdomito hoste ferox.  
 Qui mihi sanguineas, plena inter pocula pugnas  
 Narret, et effusa castra relicta fuga.  
 Oppidaq; et summis deieetas montib. arces,  
 Et tot cæsa, et tot millia capta virūm.

Ipse te-

*Ipse tenens veteri spumanti cymbia Baccho*

*Excipiam tacitus fortia facta viri.*

*Attoniti stabunt verna surdasq; ministro*

*Percutient aures verba vocantis heri.*

*Heu stultas hominum mentes: mortime per arma*

*Querimus? at qui ultrò, dum loquimurq; venit.*

*A Ere licet rigeas totus, solidoq; adamante,*

*Illa per as infert, perq; adamanta caput.*

*Ferreus ille fuit, qui humano sanguine primos*

*Sustinuit diras commaculare manus.*

*Non hæc aut vrsis inter se, aut Tygribus ira,*

*Inq; suum nunquam fæuit hyena genus.*

*Soli odia exercent mortales mutua, soli*

*Armant crudeles in sua fatam manus.*

*Quin ita recordes trux dementauit Enyo,*

*Per diras cædes iri ut in astra putent.*

*Sic Bacchum, sic Alcidem, fortemq; Quirinum.*

*Magnorum titulos emeruisse deum.*

*Dignior at quanto dapibus Iouis ille fuisse,*

*Atq; Hæbes picto participare toro.*

*Qui bella extinxet per terras omnia, quiq;*

*Pacem inter gentes inutilabilibus*

*Sanxisset pactis: huic aurea templa decebat,*

*Huic pingues tauros, turaq; odora dari.*

## ELEGIA XV.

**P**Atria rura colo: nunc fallax aula valebis,  
Nil promissa equidem magna tua illa moror.  
Libertas gemmarum instar mihi, & instar arenae est,  
Lydius aurifera quam vehit amnis aqua.  
Hic ego nec nutum alterius, nec limina seruo,  
Infringens duris molle latus foribus.  
Nec votis exopto famem incænatus herilem,  
Nec cuiquam in turba pugno aperire viam.  
Nullius ad leges vitam compono, licetq;  
Tempora mi arbitrio ponere cuncta meo.  
Ergo aut Socraticis aures accommodo chartis,  
Vnde animus vitiis discat abesse suis.  
Aut meditor Latii non absonta carmina Musis,  
Quæq; meus molli Sarmata voce canat.  
Nec me dedebeat fæcundi cultus agelli,  
Seruum censeri turpius esse reor.  
Rura inopes viclus, & priscæ munera glandis,  
Diuite mutarunt messe nitentis agri.  
Rura fuere prius, quam clausæ mœnib. urbes:  
Ni sint rura, urbes turrigeræ esuriant.  
Hinc miles patiens æstus, & frigoris æquè,  
Hinc rigidus consul venit ad imperium.  
Quod si oblectatur Tarpeia Iuppiter arce,  
Cecropiamq; urbem bellica Pallas amat.  
Flaua Ceres nostros quoq; non fastidit honores,  
Spicea cui messis tempore serta damus.

Nec mi-

Nec minus, astius postquam maturuit horis,

Grata repitori ponitur tua suo.

Lacte Pales gaudet, debentur poma Priapo,

Hortorum hic custos, curæ habet illa pecus.

Quid memorem Nymphas, montes, & stagna colentes?

Quid celerem Faunum, Pandaue capripedem?

Qui sancti nobis, seu sit dea, seu deus, omnes,

Et gaudent nostro, ut remur, honore coli.

Ac pecorum fætu, & frugum libertate vicißim

Vota expletant memores pauperis agricola.

Villice, tu solitum iam nunc ordire laborem,

Granaq; perpetuis decute verberibus.

Dumq; fauet Boreas, dum frigore flumina torpent,

Et faciles præbet nixq; geluq; vias.

Materiam sylvis fabricanda conuehe naui,

Irato Satyrus frenileat ore licet.

Ac primum duplices disunctim pone carinas:

Nam trabibus totum texere oportet opus.

Quas transuersa cauis coniungant tigna carinis,

Affixa ad lentes tigna quoq; ipsa trabes.

Pars quarum anterior modicè inflectatur, ut amnis

Exuperet fluctus, commodiusq; natet.

Huic latera aequentur gemina fundata carina,

Tuppisq; ingenti concava nixa trabe.

Tum rimas, ne quæ furtiuus perfluat humor,

Et Cereri admissa damna det intus aqua.

Conueniet musco, tortoq; o villice fæno  
 Sarciri: hac tibi sit cura, caue, vlla prior.  
 Atq; ubi iam pontem glaciali marmore iunctum  
 Vistula collectis frererit auctus aquis,  
 Informis liquidas descendat nauis in vndas,  
 Et petat Arctoi littus onusta maris.  
 Nec redditum speret: satis est, si frugibus ære  
 Pensatus, redeat nauta domum ipse pedes.  
 Adsis, Cylleni: neq; enim facundia tantum,  
 Verum res quoque eget nostra saurore tuo.

## ELEGIA XVI.

**N**Vntius aduenio vobis, audite puellæ,  
 Grata, minusue feram, nescio: vera tamen.  
 Tam vera, & comperta fero, quam vivere certo  
 Me scio: quam nox est atra, nitensq; dies.  
 Ille decus iuenum, multiscius, experiensq;  
 Ille valens calamo, nec minus ore potens.  
 Duditius, regum orator, spes curaq; vestræ,  
 Dulcia coniugij sub iuga colla dedit.  
 Quodq; exoptasti multæ, subito abstulit una:  
 Vestræ procellosos vota sequuta Notos.  
 Hæcne fides? ubi dij? superos meminisse putatis?  
 Si quid iurauit mentis amator inops?  
 Projicte ex animo curam, nam præstat, inanem:  
 Huic alimenta faci sufficit ipsa Venus.

At te

At te laus victura manet, generosa virago,

Vnica Duditio digna reperta tuo.

Non illum Italides poterant retinere puellæ,

Non Rheni sanguis, nec Rhodani vlla genus.

Tu poteras: geminis pulcherrima nata sub Arctis,

Nec probitatem minus, quam niueo ore nitens.

Ille tamen opes tibi postposuit, celebremq; galerum,

Dives abunde, tuo si frui amore queat.

Hæc illa est lotos, quæ degustata, parentum,

Et dulcem ex animo curam abolet patriæ.

Mentibus unde hominum est hic insitus ardor? an illud

Verum est, quod quædam fabula prisca docet?

Nempe insulæ hominæ nostrum cunumquemq; vocari:

Namq; ut nunc vulgo nominatur, homo.

Dimidium est hominis tantum, si secula prisca

Speciemus, princeps quando coortus homo est.

Nondum quid sit amor, Veneris nec munera norat,

Sed qui mos plantis, arboribusq; manet.

Citrà congressum, nocturnaq; gaudia citrà,

Edebant generis pignora certa sui.

His facies duplex ceruice hærebat in una,

Tam bene, quæ à tergo, quam bene, quæ ante tuens.

Quadruplicesq; manus aderant, totidemq; potentes,

Ceruorum cursus æquiparare pedes:

Vasta virum moles, vires in corpore summae,

Natura effrenis, despiciensq; Deos.

Hi fastu

*Hifastu inflati, priscorum more Gigantum,  
 Bello calicolas appetiere deos.*  
*Consultant superi : neq; enim mortale probabant  
 Omne repentina clade perire genus :*  
*Et quo compescenda foret gens effera pacto,*  
*Non sese poterant explicuisse satis.*  
*His ita distentis hominum pater, atq; deorum.  
 Iuppiter, hos sacro fudit ab ore sonos.*  
*Securo vos esse animo volo : namq; ego spero,*  
*Hac ut recte habeant, me reperiisse modum.*  
*Faxoq; ut superent homines, neq; bella deinceps  
 Villa tamen moueant perniciosa diis.*  
*Nam vires, queis freti audent contendere nobis,*  
*Dempsero, et in partes quenq; secabo duas,*  
*Hec ait, et somnum magno demittit Olympo,*  
*Quem sopire hominum corpora cuncta iubet.*  
*Ille capit virgam, Lethao rore madentem,*  
*Somniferumq; hymbrem spargit in omne caput.*  
*Extemplo torpor mortales occupat artus,*  
*Inuitosq; domat somnus iners oculos.*  
*Hic quales curua desecti falce manipli,*  
*Sole sub aestiuo tonsa per arua iacent:*  
*Tales Lethao deuicti lumina somno*  
*Per campos fusi tum iacuere viri.*  
*Iuppiter interea, comitatus Apolline solo,*  
*In terras spatiis deuolat aeriis.*

*Somnoq;*

Somnoq; oppressos, ut sors quenq; obtulit, ense,

Per mediumq; latus, per mediumq; caput,

Admisso, in geminas partes secat: oua secari

Quo pacto, aut scombri lubrica terga solent.

Vulnera dein solers curare iubetur Apollo,

Ille haud inuitus iussa paterna facit.

Extenditq; cutem, atq; extremas complicat oras,

Et capita eformat, scabraq; terga dolat.

His ita patratis cœlestia templâ reuisunt,

Affurgit reduci concilium omne Ioui.

Vt verò & somnus mortalia corpora soluit,

Visus dimidio est & sibi quisq; minor:

Concurrunt bini, & cupidi coalescere rursus,

Mutua coniectis colla plicant manibus.

Expertesq; ita languebant somniq; cibiq;

Donec opem fessis attulit alma Venus.

Nescio quid curis admiscens dulce molestis,

Atq; nouo pensans damina priora bono.

Atq; hinc ortus amor, plaga medicator acerba:

Quiq; unum ex geminis efficere usq; studet.

Quippe prout dictum est, homini pars altera desit,

Quarendum omnino quam sibi quisq; putat.

Huius, Duditi, quia compos factus & ipse es,

Nec iam dimidium sed mage totus homo es:

Fortunam hanc santeo tibi, tum succedere recte,

Pro nostra cupio semper amicitia.

ELEGIARVM  
ELEGIA XVII.

**H**AEC mihi barbatum memini diclare magistrum,  
Magnus ubi Antenor post sua fata cubat.

Divitias non esse aurum, neq; si quis inemptis.

Infinita agri iugera bobus aret.

Illum, contentus qui esset paruoq; suoq;

Amplius à superis qui peteret q; nihil:

Dignum esse ante omnes, qui diues nominitetur:

Hunc sat habere etenim, quod proprium esset opum.

His ego per suasus, concessò regibus auro,

Ipse animo diues nil cupiente fui.

Nunc argumentis domine coniuctus auara,

Errorem agnosco, pauperiemq; meam.

Dandum est, si cupias, inquit, mea vita, potiri:

Si nihil es quod des, limine cede meo.

Hei mihi, quòd facile est sapiendo euadere ditem,

Sed quas divitias nulla puella colat.

Non armenta ego nec latos, locupletibus agros

Inuideo, aut validis horrea clausa seris:

Illi possideant Ostrum, viridesq; lapillos,

Quicquid t; auriferi gignit arena Tagi.

Pelle ego, t; hirsutis arcebo frigora willis,

Et fluvioq; libens prætereunte bibam,

Stramineaq; habitabo casa: modò fas sit amare:

Hac in parte graue est cedere divitibus.

Sed quam-

Sed quamvis durum quamvis graue, cedere oportet,  
Cedunt infidis omnia muneribus.

Ferrea turris erat, Danae qua clausa latebat,

Hanc tamen auriflue rospate fecit aquæ:

Auro victa virum scelerata Eriphila latenterem  
Prodidit, certum misit in exitium.

Quam bene, quod natura parens abstrusserat imis  
Viscerib. solidi, cuncta metalla soli.

Donec opes celaret humus, non bella fuerunt,  
Ad Stygiam multæ nec patuere viae.

Nos male solentes infaustum effodimus aurum,  
Omnigeni causam, principiumq; malii.

Hoc fratres ad bella vocat, hoc sustulit urbes,  
Et magna euertit funditus imperia.

Heu canimus surdis, neq; prodest dicere verum,  
Illa suum nobis occinit usq; melos.

Dandum est, si cupias, inquit, mea vita, potiri:  
Si nil est, quod des, limine cede meo.

Ergo, nisi effosum foret altis montibus aurum,  
Visurus neq; Amor lumina solis erat.

At si vera canunt priscorum carmina warum,  
Aligero nullum est numen Amore prius.

Hic deus aeternam soluit caligine noctem.  
Ex veteriformas elicuitq; chao.

Hic, in amicitiam pugnantia seminare rerum  
Deducens, mundi nobile finxit opus.

Naturaq; vnius partes infusus in omnes

A Eterna serie cuncta creata fouet.

Sancte puer, cui se tellus, frētaq; omnia debent,

Et quicquid cœli clauditur orbe vago:

Si nullo inductus precio, neq; præmia spectans

Vlla, sed orbis amas commoda sponte tua.

Re nulla si nudus eges: impune neq; auro

Prostitui numen sueris ipse tuum.

Sed quæcumq; olim damnis diteſſet amantum,

Illas igne rapi vindice ploret opes.

Tum neq; curet aqua ſedare incendia quisquam,

Sed prædam medio raptor ab igne petat.

Atq; aliquis flammam ſpectans, furumq; rapinas,

Artibus hæc iuret parta fuisse malis.

Hæc mala mox aliis cumulet ſata aſpera damnis,

Angat eam longa fracta iuuentia die.

Angant & rugæ, cadensq; etate capillus,

Nec quicquam viridi quem nuce tinguat anus.

Blanditias, primæq; imitetur verba iuuentæ,

Sed quæſint canæ non ſatis apta comæ,

Illa puellarum choreis ſeſe ingerat ultrò,

Illa putet cantus poſſe placere ſuos.

Illa collatis iuuenes clam nutibus, illam

Et virgo, & ſimplex rideat vſq; puer.

Clam nunc, deinde palam: donec dediſcat amari,

In cineremq; abeat fax vetus illa ſuum.

Iam

Iam tum non timeat petulantes ianua mœchos,

Ianua florum expers, & peritura siti.

Illaq; iam dominæ feriat vox rarior aurem,

Dormire, heu saxum, me pereunte, potes.

Tum verò curam cognatas vertat ad artes,

Et facibus castis insidietur anus.

Gaudiaq; ignotos ad mutua cogat amantes,

Et præstet turpem culpe alienæ operam.

Atq; ubi iam vires, etas absumpserit omnes,

Emendicati munera panis edat.

Iamq; adeò & morbi, Veneris monumenta ncfandæ,

Et celata diu Parthenopæa lues,

Oſibus emergat, perq; omnes ſeuiat artus

Impune, & medice rideat artis opem.

Nec, niſi poſt longos mors cunctabunda dolores,

His miſerum ſoluat corpus anile malis.

Sed tantum corpus: nam ſontem Cerberus ombram

Vltor aget cæcas trans Achérontis aquas.

In pertusum ubi vas lympham ferat: ut pote cuius

In vita nunquam eſt exſatiata famæ.

His ex aequo omnes diris oneramus auaras:

Aſt à te, o mea lux, ſint ea fatigata procul.

Sint procul; idq; adeò, ſi in me nil tu quoq; peccas,

Siuē etiam peccas, ſit tibi mitis Amor.

# IO. COCHANOVII

## Elegiarum liber IV.

## E L E G I A I.



*AVLVS nubiferas transmittere co-  
gitat Alpes,  
Et procul antiquam visere Par-  
thenopen.*

*Quid faciet viduata nouo Telefilla ma-  
rito,*

*Et desolata sola relicta domo?*

*Fleuit, ut amissò viduus flet compare turtur,  
Orbane pignorib. flet Philomela suis.*

*Ille voluntarius peregrinus exul in oris,*

*Mille feret cæli incommoda, mille via.*

*Vtq; nihil cesset, properet quoq; sol prius annum  
Conficer, longas quam reddit ille vias.*

*Non ita, qui vulgo sapiens celebratur Ulysses,  
Olim in liquenda promptus erat patria.*

*Sed, cum cultura Parim numerosa Græcia classe  
Iret vastatum Laomedontis opes:*

*Ille manere domi cupidus, furere assimulauit,  
Ne socia inuitus posset in arma trahi.*

*Ut ve-*

*Vt verò patuere doli fraudesq; reiectæ,*

*Uxorem affatus fertur ita ille suam.*

*Præsentि ut semper coniux fruerèrē marito,*

*Nil non centauī, sed renuente deo;*

*Linquenda est Ithace, natusq; uxorq; Laresq;*

*Per vastumq; fugax mæcha sequenda mare.*

*Unus ne profuga fraudetur coniuge Atrides,*

*Græcia coniugib. tota erit orba suis.*

*Abstrahor inuitus: vale, coniux optima, meq;*

*Primo, si caueant numina, tere mane.*

*Hac ait, & flenti postquam dedit oscula nuptæ,*

*Commisit rapido vela ferenda Noto.*

*Aulide prima mora est armis obiecta Pelasgis,*

*Dum sua velferas deficit aurarates.*

*Nec prius Argii ventos habuere secundos,*

*Quam lato infelix Iphianassa data est.*

*Ut ventum ad Troiam est, quæ prælia, quiue labores*

*Exhausti? quanto sanguine fluxit humus?*

*Hectore sublato decimo vix Doricus anno*

*Ignis Dardanidas est populatus opes.*

*Iamq; ferebatur victrix vasto æquore classis,*

*Et præda ad patrios ibat onusta deos.*

*Infremuit cælum, tempestatesq; coortæ.*

*Saxis illis as comminuere rates.*

*Victores domuit pontus: pars mersa profundo est,*

*Partem turbo rapax per maria alta tulit.*

*Ad Ci.*

*Ad Ciconum littus ventis desertur Ulysses,*

*Urbemq; in electo diripit igne ferox.*

*Armantur Cicones: concurritur & quore aperto,*

*Thrax vincit, Ithacus non sine clade fugit.*

*Orta tempestate iterum, Boreaq; furente,*

*A Egre Lotophagon littora curua tenent.*

*Hic viridis loti dulcedine capti iuuentus,*

*Immemor, ad patrios distulit ire lares.*

*Ni flentes ferro, viq; abstraxisset Ulysses,*

*Maturumq; citus præcipitasset iter.*

*Hinc digressus ad immites classem ad puluit oras,*

*Quæ loca Cyclopes, gens truculenta colit.*

*Accipit hospitio nautas Polymphemus amaro,*

*Et sena ex illis corpora viua vorat.*

*Uter opem reliquis tulit: uter seruat Ulyssem,*

*Victus es oblato, trux Polympheme, mero.*

*Elapsi ad naues properant, vastumq; per aquor*

*Nantes AEoliis applicuere vadis.*

*Hic Lærtiadē humanior excipit hospes,*

*Qui trucib. ventis imperat Hyppotades.*

*Hospitioq; errabundum recreauit amico,*

*Nec re fortem villa passus egere virum est.*

*Addidit et munus, conclusas utre procellas,*

*Cedentem Zephyri flamina iussa sequi.*

*Lintea tenduntur, noctesq; diesq; feruntur,*

*Dux retinet clavum, dux regit ipse ratem.*

Iamq; erat in conopeo Ithace, cum fessus Vlysses

Somno infelici lumina victa dedit.

At socii (aurea enim fallebant vincla) rati utrem

Auro distentum per freta longa vehi:

Terga bouis laxant: venti ilicet impete magno,

Qua data porta ruunt, AEoliamq; petunt.

Abripitur classis, emensaq; marmora tranat,

Pecora planguntur, lucius ubiq; sonat.

Itur ad Hyppotadem rursus, stupet ille reuersos,

Et, tanquam exos os diis, procul esse iubet.

AEolia eiecit Lestrigonas haud meliore

Accedunt fato, mœniaq; alta Lami.

Nam speculatorum concerpsit dentib. unum

Antiphates, reliquis auxiliata fuga est.

Intonat ille serum, decurrunt urbe Gigantes,

Demerguntq; rates, cum ratibusq; viros.

Vnica seruata est uauis, qua vectus Vlysses

Matura euasit certa pericla fuga.

Hinc ad Phœbigenæ peruenit littora Circes,

Deleclosq; iubet limina adire deæ

Viginti iuunes: venientes obuia diua

Accipit, hirsutis undiq; septa feris.

Nec mora, miseri ducentem obliuia potum.

Apponiq; nouis imperat hospitibus.

Accipiunt illi securis pocula dextris,

Et nulla fraudis suspicione bibunt.

At dea contactos medicatae verbere virgæ,  
 Sordida spurcarum vertit in ora suum.  
 Coniectosq; in haram sylvestri glande saginat,  
 AEquum erat informes viuere glande sues.  
 Eurylochus fraudis metuens, in limine primo  
 Subliterat, nocuum nec bibit ore merum.  
 Cumq; nec ipse sequi comites auderet, horum  
 Interea efferret limine nemo pedem:  
 Nuntius interiisse omnes accurrit Ulyssi,  
 Atriaq; ingressos non remeasse retro.  
 Arma rapit Laertiades, vindexq; suorum  
 Tecta horrenda dea p̄meditatus adit.  
 Oblatosq; meri latices interitus hausit,  
 Frondeq; demulctus terruit ensè dcam.  
 Cunctaq; cùm illæsus superasset pharmaca, porci  
 Exutos comites donum ab amante tulit.  
 Restat iter durum: patriam aspecturus Ulysses  
 Non prius est, adeat quam Phlegetontis aquas.  
 Tyresiam consulturus, patria arua petenti  
 Quæ fugienda foret, quæc sequenda via.  
 Ergo Cymmerias descendit mæstus ad oras,  
 Terminus immensi quæ patet Oceani.  
 Hæc loca perpetuis vestit nox densa tenebris,  
 Nec populos unquam recreat alma dies.  
 Non cùm sydereum solis rota scandit Olympum,  
 Non cùm sub terras axe volante redit.

Huc

Huc naui adpulsa nigras ferit ense bidentes,

Et Stygio regi debita sacra facit.

Ecce autem umbris animas consurgere lucis,

Ille etas pecudum cæde calente, videt.

Quanta locustarumpurum quondam æra nubes,

Subtexens late frugum inimica venit.

Hic illi Herœs prisci potuere videri,

Quiq; modo in campis occubuere Phrygum.

Hic Anticlia infelix, quam Ditis ad umbras

Absentis nati per Styga misit Amor.

Hic & Tyresias: solus regionibus illis

Qui sapit: umbræ alij, vanaq; spectra volant.

Is Laertiade venientia fata recludit,

Et per quas Ithace sit repētenda vias.

Quæc ille instructus satis, expletusq; videndo,

Ad socios Stygio flexit ab amne pedem.

Cymmeriasq; domos, & regna in amæna relinquens,

Ægis rursum redditur aquoribus.

Hinc ubi soluissest maria ulteriora petenti,

Stringere Syrenum prata necesse fuit.

Qua si quis nauem imprudens religasset arena,

Pellaci è mediis voce retractus aquis.

Non ille uxorem, non dulcia pignora natos,

Post longum rediens exhilarabat iter.

Sed scopulis hærens, Musæ dulcedine victus,

Ænum apud impuras turpe terebat heras.

Dum mors effatos anima secluderet artus,  
 Differentq; truces ossa inhumata ferae.  
 Hac cùm Dulichius non ignoraret Ulysses,  
 Consilia & quore & fida sequutus heræ.  
 Auriculas comitum cera obstruit: ipse liganda;  
 Brachiaq; ad malum, cruraq; lenta dedit.  
 Atq; ita suspectas fugiens præteruolat oras,  
 Ne quicquam suavi vela morante sono.  
 Syrenas præteruecti, fraudesq; canoras,  
 Aspiciunt scopulos, corde tremente, duos.  
 Fumus erat circum, feruebant littoralatè,  
 Saxa mari ingentem pulsâ dabant sonitum.  
 Dextrum Scylla latus canibus succincta tenebat,  
 Exertans alto guttura sena specu.  
 Læuum, quæ fundo nunc & quora sorbet ab imo;  
 Nunc vomit epotas dira Charybdis aquas.  
 Has inter rupes, nisi mauis dicere mortes,  
 Per tumidas agili puppe feruntur aquas.  
 Dumq; implacatam cupiunt vitare Charybdim,  
 A Scylla abrepti sex periére viri.  
 Trinacriam reliqui adpellunt, ubi filia Solis  
 Pascet patrios lata per arua greges:  
 Hos violare nefas erat, & prohibebat Ulysses,  
 Consilij Circes, Tyresiaeq; memor.  
 Sed monuit frustra: venter caret aurib. aiunt,  
 Hoc autore boum grex sacer ille cadit.

Detra

Detractæ serpunt pelle, caro mugit acuto,

Fixa veru: instantis nunc tia signa mali.

Ut saturi ergo vagam pelago immisere carinam,

Candidaq; optati vela tulere Noti:

Nulla adpareret cum iam terra amplius usquam,

Sed cælum, & sola conspicerentur aquæ:

Atra repente diem nubes inuoluit, & ingens

Tempestas latis ingruit æquoribus.

Linæa scissa volant: euersi pondere mali

In rapidas rector decidit ictus aquas.

Nauem exarmatam missum ferit ab Ioue fulmen.

Soluitur illa, viros obruit unda maris.

Solus comprensa trabe mortem effugit Ulysses;

Continuoq; nouem sic natat ille dies.

Vix decimo infertur terræ, quem pulchra Calypso

Eieclum pelago culta sub antra vocat.

Hospita neue parum comis foret, omnib. illum

Demerita officiis, lecto etiam recipit.

Etsi dura viri potuissent pectora flecti,

Præmia mansuro magna parabat Amor.

Difficilem dea post septem vix deniq; messes,

Idq; deum monitis, tendere vela sinit.

Ille mare ingreditur: quid multis? brachia rursus

Euersa in mediis naue fatigat aquis.

Leucothœ fessum placida aspicit: huins ope æquor

Vicit, & optatam corpore preßit humum.

Hinc teclum Alcinoi subit: à quo adiutus amicè,  
 Vix tandem patrio redditur ille Lar.  
 Cùm totos viginti egisset duriter annos,  
 Iactatus terris, indomitoq; mari.  
 Omina sint frustra: tu Paulum, Lar, aue fausta  
 Dimitte, et longa nolis abesse mora.

## E L E G I A II.

**N**on ego te lachrymis, Tarnoui, prosequar ullis,  
 Aut tua lugubri carmine fata gemam.  
 Viuis enim vere, mortali carcere liber,  
 Sublissimèq; habitas aetheris arce domum:  
 Quæ nulli est hyemi, nullisq; obnoxia nymbis,  
 Sed lucem æternam, nescia noctis habet.  
 Hic labor, et curæ insomnes, hic ægra senectus,  
 Hic morbiq; vigent, sollicitusq; timor.  
 Felix, qui scopulos euaseris æquoris huius,  
 Incolumi portum contigerisq; rate.  
 Nos pelago incerti ferimur, quocunq; carinam  
 Impulit aduersi sœua procella Noti.  
 Tu nunc Heroas inter, quos prisca tulerunt  
 Secula cœlesti vesceris ambrosia.  
 Sub pedibusq; vides terras, pontumq; sonantem,  
 Aureaq; aethereo sydera sparsa polo.  
 Gloria, quæ virtute tibi est quæ sita perennis,  
 Contempta volitat morte per ora virum.

Cum

## LIBER IV.

iii

Cum posset etenim factis te ornare parentum,

Duxisti satius laude vigere tua.

Non ignarus ei, qui nil per se ipse patrasset.

Egregium, laudes opprobrio esse patrum.

Te memorant inuicti Alcidæ exempla sequutum,

Terra, atq; infesti plurimum obisse maris.

Totq; adiisse pericla, tot exantlasse labores,

Ausum per medium vadere barbariem.

Nec verò Eurystheus quisquam, aut grauis ira no uen.

Sed solus laudis te stimulauit amor.

Artib. instruc̄lus pacis, belliq; fuisti,

AEquè armis promptus, consilioq; valens.

Nec fuit usus, ut alterutrum, quo clarior essem,

Vel pacem optares, vel tibi bella dari :

Sed veluti miles, longa assuetudine doctus,

Dextra aequè, ac laeva fulminea arma rotat :

Sic tu, cognita habens, qua tempus utrumq; decerent,

Hoc aequè, atq; illo tempore clarus eras.

Tu fidus legum interpres, atq; arbiter equus,

Tu circumuentis anchora sacra reis.

De summis regni rebus consultus, ubi ora

Soluisses, et vox auribus hausta tua est :

Intertum, prudentior, an facundior essem

Linquebas: surgit par tibi utrumq; decus.

Idem tu ille toga præstans, cum bella vocarent,

Milesq; intrepidus, duxq; peritus eras.

Non

Non incerta cano: Libyæ mihi littora testes,  
 Maurorumq; potens te duce fusa manus.  
 Testes Riphæis deiectæ collibus arces,  
 Quæ tot Moschorum millia cæsa iacent.  
 Nam quis Obertini manantes sanguine campos,  
 Precipitem Daci prætereatq; fugam?  
 Ille dies docuit numerum non vincere bello,  
 Sed vim pugnantum, consiliumq; ducis.  
 Millia bis duodena ferox armaverat hostis,  
 Cuius pars numeri vix tibi sexta fuit.  
 Ergo intra vallum tacitis aciem instruis armis.  
 Spemq; bonam dubiis insinuas animis.  
 Tormentis instare, pilisq; ardentibus hostis,  
 Quale louis magna fulmen ab arce venit.  
 Tu pugnandi audiū bellī certamine torques  
 Dilato, et longas iniicis usq; moras.  
 Impatiens ille, et numero milite fretus,  
 Intercludendi spem tua castra capit,  
 Diducitq; alas: at tu, dextro obice rupto,  
 Ordine ab extremo signa repente iubes  
 Inferri sparsis: ruit improuisa iuuentus,  
 Martiaq; horribiles æra dedere sonos.  
 Dacus ubi erupisse inopinum comperit hostem,  
 Impiger huc vires cogit et ipse suas.  
 Concurrunt alacres, funestaq; prælia miscent,  
 Hinc animosa cohors, hinc numerosa manus.

Dum

Dum reuocat sparsos hostis, densatq; maniplos,

In faciem pugnam dum redigitq; nouam.

Parte alia vallum tu disicis: euolat agmen,

Distentumq; hostem fortiter aggreditur.

Ne c mora, rupta aduersa acies virtute tuorum est,

Fit fuga, fit cedes: tu ampla trophya refers.

Deniq; nullum hostem, nullas te sospite vires

Parrhasio timuit subdita terra polo.

Atq; ut durus Atlas stellatum sustinet axem,

Res humeris ita erat nixa Polona tuis.

Nec verò superos lingua, sed mente colebas,

Perstans in prisca religione patrum.

Per te cana fides, cæloq; Astræa relicto,

Cæperat inuisam visere rursus humum.

Rebus in aduersis idem, letisq; fuisti,

Pectoris unus erat sorte in utraq; tenor.

Diuitias metiri auro falsum esse putasti,

Sed tibi opes magna fidus amicus erat.

Consilio oppressos iuuisti sedulus, ac re,

Verus magnarum qui fuit vesus opum.

Tu scelerum, fraudisq; osor, tu portus, et aura

Clemens virtuti, perfugiumq; bonis.

Hæc te immortalem, Tarnou maxime reddunt,

Hæc te astris miscent, concilioq; deum.

Ultra num tu aliquid curas? hæcne agmina specias?

Quæ celebrant funus puluerulenta tujm.

Sarmatia omnis adest, atq; vna Teuthona pubes,

Quiq; bibunt alti flumina Danubij :

Omnes vnuus habet sequallor, ferit aether aplanctus,

Te deflent iuuenes, te pueri, atq; senes.

Filius ante omnes, qui non solum ore parentem,

Sed vita morumq; integritate refert.

Pone modum lachrymis, fas non est flere beatos,

O iuuenis, magna spes columenq; domus.

Illos flere decet, qui ex aucto turpiter auo.

Spem nullam vita prosprioris habent.

Sed periere velut ratione carentia bruta,

Demersi tenebris, nocte q; perpetua.

At qui ita vixerunt, ut nil virtute putarent

A superis homini pulchrius esse datum,

Nec sunt desidiam turpem, luxumq; sequuti,

Sed studiis animum percoluere bonis.

Illis porta patet cæli, sedesq; beatæ,

Cum terrena animus mole solutus abiit:

Quod si quis meritò magni tenet atria cæli,

Nemo parente tuo iustius illa tenet.

Quæ virtus etenim est, quam non exercuit ille?

Quis fuit aut armis, aut pietate prior?

Non ille antiquas laudes iaclavit auorum,

Laus propria hæc demum est, quam sibi quisq; parit.

Pro patria innumeris obiecit se hostibus vltro,

Vulnera q; exceptit, non timuitq; mori.

Fortune

# L I B E R . IV.

III

*Fortuna leuia, & subitis obnoxia damnis,*

*Sola animi duxit perpetua esse bona.*

*Hac Pollux, & quem diues colit India, Liber,*

*Hac vagus Alcides venit in astra via.*

*Quos inter nouis ille deum coniuia recumbens,*

*Tarnouius tota gaudia mente capit.*

*Curarum oblitus : ceu cum maria omnia circum*

*Emensus portum deniq; nauta tenet.*

*Hunc tu flere caue, atq; animo omnem absterge dolorem,*

*Hoc tibi, si fas sit, dicat & ipse pater.*

*Quin tu illi Pario de marmore Mausoleum,*

*Vistuleas ponis nobile propter aquas.*

*Quò pia posteritas euo labente quotannis*

*Confluat, & cineri debita dona ferat.*

*Prælia, quosq; olim deuicit strenuus hostes,*

*Fac spiret paries Phidiaca arte nitens.*

*Carmen ego adijciam : lapis hic premit inuidus ossa*

*Tarnouij, ipse mori nescius astra colit :*

*Hoc satis est tumulo: nam cetera fama superstes,*

*Narrabit seclis innumerabilibus.*

*AEternum, ô venerande cinis, salucq; valeq;*

*Et nullo incumbat pondere terra tibi.*

# E L E G I A . III.

*Q*uæ vaga curricula, ô Firleu, quænæ ampla theatra  
Oblectare æquè lumina nostra valent?

P 2

Atq;<sub>b</sub>

Atque hæc naturæ artificis spectacula dia,  
 Conuexi<sup>q</sup> orbis non imitabile opus.  
 Quæ potuit florum pictura equare colores,  
 Quales vere nouo Dædala gignit humus?  
 Aut quis heryllus tam gratum splendet, vt herbas  
 Amplexus summas ros oriente die?  
 Nam nemora, & colles sylvis frondentibus aucti,  
 Fluminaque ingenuas suppeditantia aquas:  
 Non specie tantum, commendantur lepore,  
 Sed fruge, atque us sunt quoque blanda suo.  
 Hinc etenim priscis mortalibus extitit olim  
 Victus, cum nondum fortia aratra forent.  
 Hinc genus omne alitur pecudum, & genus omne ferarū,  
 Ex quæs mortales commoda mille ferunt.  
 Ipsa autem quamuis neglecta, incultaque tellus,  
 Natura tamen est vndique compta sua.  
 Quæ si hominum cura bobus versata colatur,  
 Præmia cultorem qualia, quotque manent?  
 Nec vero aut gemmas Eoo in littore lectas,  
 Aut conchas rubro progenitas pelago,  
 Admirere magis, refluente<sup>s</sup> quam ipsius aestus,  
 AEquoris, & certis finibus Oceanum.  
 Nunquam exundantem, licet omnia flumina in illum  
 Vndique inexhaustis prona ferantur aquis.  
 Iam si templa vagi suspereris aurea cœli,  
 Estne usquam, humanos quod iuuet æquè oculos?  
Hic il-

Hic illas totis radiantes noctibus ursas,

Hic tenues Hyadum, Pleiadumq; faces.

Hic obseruatum trepidis Oriona nautis,

Et videas formis mille alia innumeris,

Omnia quæ magni rapida vertigine cœli,

Occiduas versus fixa feruntur aquas.

Quinq; tibi aduerso luclantur tramite contrâ,

Et vaga per magnum sydera inane meant.

Quorum annus pigro prohibetur cardine verti,

Et constat seclis innumerabilibus.

Hæc inter medius Sol ardet, & axe corusco

Per liquidum iunctis æthera fertur equis.

Tempestatum, anniq; parens, nunc versus ad Austri

Partes, nunc Boreæ frigida flabra petens.

Luna autem semper nascens, semperq; senescens,

Et modo tota latens, & modo plena nitens,

Ex industria in hunc à diis coniecta videtur

Terræ vicinum prodigiosa locum:

Vt variabilibus formis, alioq; subinde

Apparens vultu, scire alioqui auidum

Ad se hominem aliceret, terræq; ex fœce leuatum

Verteret ad cœli pura tuenda loca.

Quod nisi quid paries absurdum Delphicus ille

Dicit, qui se ipsum noscere quenq; iubet:

Ipsius naturam hominis quoq; dispice, Firleu,

Forsitan & hic animus, quo capiatur, erit.

Ac tot dissimiles primum perpende figuras,  
 Naturæ promptas de locuplete penu.  
 Quotq; vides formas, species tot concipe morum:  
 Vi non sit mirum, secla per innumera  
 Vix tria amicorum toto paria orbe reperta:  
 Culpa hæc disparibus, manat ab ingenis.  
 Quæ nisi conspirent, ut idem nolintq; velintq;  
 Fidus amicitia non coalescit amor.  
 Nec verò o Firleu, Sphyngem, Scyllamue biformem,  
 Aut Centaurorum monstra stupenda legens.  
 Hoc genus arbitrere unquam portenta fuisse:  
 Namq; hæc à vera sunt ratione procul.  
 Sed tibi adumbrari potius per talia rere,  
 Naturæ duplicitis participantem hominem.  
 Nonnæ vides, ubi quis furit acri percitus ira,  
 Aut desideriis pungitur immodicis:  
 Quam procul à vera fertur ratione, viaq;  
 Nec iam animo constat, nec memor ipse sui est?  
 Sed rapitur præcps: abruptis qualis habenis  
 AEqua & iniqua fugax per loca fertur equus.  
 Atq; hæc illa fera est iungi cum corpore sueta  
 Humano: quam si postposito ipso homine  
 Solam quis curet, tradens se affectibus ultrò,  
 Indulgensq; suis usq; cupidinibus:  
 Non hominis, Firleu, quæ à brutis distet oportet,  
 Sed pecudis vitam creditur ille sequi,

Forma autem illa hominis naturæ iuncta ferina,  
Humanæ dici mentis imago potest.

Quam partem haud inscitè hominem quoq; dixeris ipsum  
Visumq; est magnis hoc ita habere viris.

Non, ut opinor, enim hinc hominem appellare solemus,  
Quod caput, atq; humeros, brachia quodue gerit:

Ceteraq; eiusdem generis, quæ non magis ipsi,  
Quam brutis etiam confiteare data:

Sed quod præditus est ratione: illaq; magistra  
Et veri, & falsi, propria signa tenet.

Virtutem à virtuio, à turpi discernit honestum,  
Rerumq; euentus per prius acta videt.

Hac propria esse hominis, Firleu, fateare necesse est,  
Et quisquis sese iis de diderit studiis.

Brutam illam pecudem rationis lege cōercens,  
Et pietatem una, iustitiamq; colens,

Verè illum humanam dicendum est vivere vitam.  
Ut qui naturæ sit memor ipse suæ.

Et qua terra quidem patet inclusa & quore salso,  
Mortis ubi diræ ferrea iura vigent.

Non animal reperiri homine præstantius ullum,  
Amentes etiam credo videre feras:

Orbem autem nostra fabrefactum dicere causa,  
Hoc vero euinci vix ratione potest.

Nam si spectandus terræ est, atq; aeris usus,  
Tam brutis, quam homini vita ab utroq; venit.

*Sin præstans natura sibi hunc usurpat honorem,*

*Ne sic nostra quidem res meliore loco est.*

*Nam quantum brutis homo despicientibus anteit,*

*A Ethereis tantum cedit et ipse animis.*

*Præterea, si in condendo deus orbe volebat*

*Gratificari homini, qua ratione feras*

*Humano generi infestas. Tigresq; Leonesq;*

*Et Crocodilorum corpora vasta tulit:*

*Cur inuisa fames, cur sauit pestifer aer:*

*Cur teneros partus mors necat ante diem.*

*Mitto perpetuis loca late infessa pruinis,*

*Regnaq; flammuomis subdita solis equis.*

*Mitto mare ignotum, rupes, vastasq; paludes,*

*Quo neq; mortali fas adiisse pede est.*

*Quod superest arui, natura obducere pugnat*

*Sentibus, et densis conserat omne rubis.*

*Ni labor assiduus, ni vis humana resistat,*

*Vertere secundum sueta bidente solum*

*Arcenda causa famis: et tamen irritus ille*

*Non raro effluxit, disperiitq; labor.*

*Cum sata vel nimij solis coxere calores,*

*Hymbræsue, aut venti, visue inimica geli.*

*Valde itaq; et nimium valde, placet is sibi, Firleu,*

*Causa orbem factum qui putat esse sua.*

*Hoc proprius vero est, mundi artificemq; patremq;*

*Qui sibi sufficiens, non eget alterius,*

*Se spe-*

Se spectasse unum, & sua commoda tantum agitasse,  
Orbem cum magna fingeret ille manu.

Scilicet artifice ut tanto sapientia cuius,

Viresq; immensa, par bonitasq; viget,

Dignum opus extaret: quo nil perfectius usquam  
Cum foret, aut specie pulchrius, aut melius,

Summa quoq; authoris mulceret corda voluptas,  
Contemplantis opus tempus in omne suum.

Res nostræ autem ita habent, fortuna ut si quis in amplas  
Magnificam insistat adificare domum,

Liber ubi oblectare animum possitq; profusa  
Ostentare pares munificentæ opes.

Atq; huc comportet veterem simul undiq; gazarum,  
Aurum, marmor, equos, mancipia, arma, viros,  
Cateraq; ex genere hoc, quæ vel videantur ad usum,  
Vel cultum illius cedere posse domus.

Hic aliquis siue hunc Libycis rex præesse elephantis,  
Ad primas voluit seu vigilare fores.

Hos fastus si assumat, ut illas futilis aedes  
Causa fundatas afferat esse sua:

Quanto cum risu (stultis que debita merces)

Ipsius censes excipiantur heri?

Hoc homini fortasse osu venit: ebrius orbem  
Cum causa factum somniat esse sua.

Quem ratio satius, atq; adeo res ipsa refellit,  
Fastu atq; immodico turgidum amore sui.

*Vt dictum est igitur, propter se hec ampla cvidetur*

*Mundi templo potens ædificasse deus.*

*A Ethereæ mentes autem, mortaleq; seclum,*

*Mancipia huius heri nobiliora sumus.*

*Vtq; dei iussis, animi loca summa gubernant,*

*Sic hominum generi terra tuenda data est.*

*Muneribus dispergitis: ratione metalli,*

*Quod quisq; admixtum, cum generatur, habet:*

*Ferru etenim colere est agros, viculumq; parare ijs,*

*Qui se cunq; aliis dediderunt studiis.*

*A Eeris res varias diuersos fundere in ius,*

*Ornatumq; diis exhibuisse solum.*

*Argenti rabiosa procul depellere monstra,*

*Et si qua humano corpore clausa fera est.*

*Auri exercere imperium, dictaréque leges*

*Vrbibus, curæ publica habere bona.*

*Quisquis auaritia ergo procul, turpiq; remoto*

*Quæstu, fungetur munere rite suo,*

*Communem exornans patriam pro parte virili,*

*Et præbens sese morigerum superis:*

*Spes illum est eueclum iri ad maiora, ubi vita*

*Funditus mortales liquerit exuicias.*

*At qui dona sinet diuum rubigine carpi,*

*Et patriam nullis iuuerit officiis:*

*Sed quasi fucus, apum populabitur horrea cantum,*

*Vitamq; inlustris desidiosus aget:*

Ille.

Ille sues, ranasuē subibit Pythagoreas

Mortuus, aut furiis terga secanda dabit.

Nam licet extiterit sapientum facilio quædam,

Quæ multare sacras morte sit ausa animas.

Pars potior tamen addictas leto asseruere,

Conuincuntq; aeo vivere perpetuo.

Nam quoniam deus est, iustum fateare necesse est :

Hac autem in vita sapè videre licet,

Paupertate premi innocuos, florere nocentes :

Quod, quam sit iustum, quisq; putare potest.

Quare aut iniustus deus est, quod dicere falsum est,

Aut potiore sui parte perhennis homo est.

Qui, si nulla tulit meritorum præmia, donec

Corpore mortali vivaret implicitus.

Seruatus credi venturum debet in euum,

Clara ubi iustitia est cuiq; futura dei.

F I N I S.

卷之五

## REVIEW

M V T A M A R D I S I  
**FORICOENIA**  
 SIVE  
**EPIGRAMMATVM**  
**Libellus.**

AD PETRVM MYS COIVM.

 Vi cœnare domi Musas, adeoq; poétam  
 Ipsum, Myscoui non reticende vetas:  
 Accipe iure tuis foricœnia debita mensis,  
 Non Aganippæo fonte sed hausta cado.  
 Hæc mihi, dum violæ regnant, dum po-  
 culæ ſpumant,  
 Corniger occulta dictat in aure deus.  
 Quæis horam neq; tu meliorem impende legendis,  
 Inter vina volunt ebria ſcripta legi.

V O T V M.

**N**On aurum optaui, neq; clausas mænibus urbes,  
 Nec quas Thebarum dixit Homerus opes.  
 Sed magis ut dulci ſpument mihi pocula Baccho,  
 Nectar inexhausto ſufficiente cado.  
 Potantiq; hilaris, Bromij non ofor, amicus  
 Aſideat: vitem rustica turba colat.  
 Has ego diuitias & amaui, & ſemper amabo,  
 Nec ſceptra inuideo, cum phialam teneo.

Q 3

AD SO-

## AD SODALES.

**H**ic, ô amici  
 Dum patiuntur  
 Fata, bibendum est.  
 Nulla apud Orcum  
 Vinea floret:  
 Nulla Lyæo  
 Dolia feruent.  
 Flumina tristi  
 Sulfure manant.  
 Pallida ripas  
 Taxus inumbrat.  
 Hic, ô amici,  
 Hic et amandum est:  
 Nam simul atque  
 Ruperit atrox  
 Stamina Clotho,  
 Te Crocali, et te  
 Phylli relicta,  
 Per Styga, nigro  
 Lyntre feremur:  
 Haud nebularum  
 Absimiles, quas  
 AEquore surgens  
 Dissipat Eurus.

DE NE-

## DE NEAERA.

**T**Hebana bella tu quidem  
Cantas, & ille Troica:  
Ego mea infortunia:  
Me non eques, me non pedes,  
Aut clavis vlla perdidit,  
Sed syderibus certantia  
Dulcis Neara lumina.

## IN PVELLAS VENETAS.

**Q**Votquot in Adriacis fuerant Nereides vndis,  
Vel potius toto quotquot in Oceano:  
Omnes deduxit Venetam Neptunus in urbem,  
Conficitur vasto nulla puella mari.  
Hic saga est Circe miserorum pestis amantum,  
Hic Syren nautis insidiosa canit.  
Ut loto abstineas, ut noxiapharmaca vites,  
Ceraq; auriculas cautus ut usq; linas.  
Immo obsurdescas: oculis nisi captus; Ulysse, es;  
Captus es, & forma moly tuum illud habet

## IN TUMVLVM FRANC. PETRARCHÆ.

**S**I memor ipse sui est animus post funera, culte  
Petrarcha, & cineri vivit inustus amor:  
Certe non tantum cepisti morte dolorem,  
Quam gaudes Lauræ nunc comes iratue.

Que

Quæ fati inuidia primis oppressa sub annis,  
Te summo in luctu liquerat, & lachrymis.  
Nunc vos Lethe&spaciantes margine ripæ,  
Elysii spectat plebs numerosa fori.  
Felices animæ, quarum dissoluere fædus  
Mors quoq; & extremiti non potuere rogi.

## DE SCRIPTIS EIVSDEM.

**I**Mmatura tuæ dum defles funera Laura,  
Illam immortalem, teq; Petrarcha facis.

## AD CALLISTRATVM.

**D**iles amasti olim, sed inops, Callistrate, factus  
Non item amas: habet hæc pharmaca pauperies.  
Quæte blanda suum nuper vocitabat Adonim  
Menophile, nomen nunc rogat illa tuum.  
Tu quis es? unde venis? quid vis tibi? num satis illud  
Nostri tritum, inopi nullus amicus erit?

## IN IMAGINEM MARIANI.

**E**Xigua hæc, Mariane, tuis solatia amicis  
Linquis, Apellæa redditus in tabula.  
Ipse per Ionias Asiam petis impiger undas:  
Et loca, ubi humano parta salus generi est.  
Di tibi dent faciles ventos quibus usus, amicis  
Et patriæ incolumis restituare tue.

AD AN-

## AD ANDREAM PATRICIVM.

**N**Emo est, quem cupiam magis videre,  
 Quām te, mi Patrici, dolore in isto:  
 Qui me nunc coquit acriore flamma,  
 Quām quæ Trinacria æstuat sub AEtna.  
 Quare si quid amas meam salutem,  
 Ne me spe reditus tui usq; et usque  
 Defraudes precor, aut tu enim mederi,  
 Aut nemo poterit meo dolori:  
 Qui me nunc coquit acriore flamma,  
 Quām quæ Trinacria æstuat sub AEtna.

## AD VENEREM.

**V**Ir tuus Anchises, quem propter sè solebas  
 Antehac Idæum littus adire, Venus:  
 Hunc tibi iam tremulo nigrum de vertice crinem,  
 AEtatis posuit præterita reliquum.  
 O dea, namq; potes, primam aut mihi redde iuuentam,  
 Aut veluti iuuenem, sic tueare senem.

## IN CONVIVIVM.

**Q**Uæ nunc dicuntur coniuicia, conbibia olim  
 Dicta puto: hoc siquidem symposium est propriæ  
 Affinis genuinum inuertit littera sensum:  
 Ni quis id esse putet viuere, quod bibere.

R

IN BA.

## IN BACVARVM CYTHARAEDVM.

**O**rpheus in syluis, in aquis moduletur Arion,  
Mulceat hic pisces, mulceat ille feras.  
Tu turbibus in mediis cane, Bacuare: nemo etenim te  
Dignior humanis aurib. esse potest.

DE ANN A.

**I**llud nomen amo, quod seu legisse latino,  
Seu velis Hebraeo more, perinde sonat.

IN BACCHVM.

**L**AETI merum bibamus,  
Bacchumq; concinamus:  
Bacchum, patrem choræ,  
Et cantilenæ amicum.  
Bacchum, sodalem Amoris,  
Charissimum Cytheræ.  
Per quem ioci ac lepores  
Et temulentia orta est.  
Per quem molestiæ omnes,  
Et cura dormit acris.  
Pulchrè ergo temperatos  
Præbent scyphos ministri:  
At misitus irretentis  
Angor fugit procellis.

Vino

Vino ergo recreemur,  
 Curasq; ne moremur:  
 Quid quæso enim in dolore  
 In lachrymisue fructi est,  
 Cui fas futura scire est?  
 Incerta vita nostra est.  
 Potus volo choreas  
 Ductare, odoribusq;  
 Largè fluensi ocosis  
 Saltare cum puellis.  
 Per me licet volenti  
 Mærere semper: At nos  
 Læti merum bibamus,  
 Bacchumq; concinamus.

## IN MILANIONEM.

**M**ilanion ego sum, teneram quem ferre puellam,  
 Et medios inter cernitis ire canes.  
 Venor apros, ago cornipedes in retia ceruos,  
 At me Amor ipse suis implicuit laqueis.

## EPITAPHIVM NICOLAI FIRLEI.

**H**AEC te urna exanimem seruat, fortissime Firleu,  
 Ipsi Martis cuspide perdomitum.  
 At tua laus viuet nullis obnoxia fatis,  
 Donec erunt hastæ, spicula, signa, tubæ.

## EPIGRAMMATVM

IN AMOREM DORMIENTEM.

**D**ormis, mortales curis insomnibus angens,  
Dormis, heu, dura proles Acidaliae.  
Nec tibifax ardet, neruoue impulsa sonanti  
Emanib. falli nescia, arundo volat.  
Alter sit securus: ego timeo, improbe, ne vel  
Sopitus videas somnia amara mihi.

AD IBYGV M.

**S**i cœnitare vis pœtas, & crebro  
Potare apud te: pol, sapientis, Ibyce,  
Homines palati: pocula hæc lymphatica.  
Merumq; flumen amoueri fac procul.  
Seruis bibendum, sobriaeq; virgini:  
Nobis Falernum ardentiusq; Cœcubum  
Capacioribus iube adponi scyphis.  
Nam si bibendum est, optimum quodq; Ibyce,  
Vinum bibendum est: cetera esto sobrius.

AD LVCINAM.

**I**vno Lucina, aut si mauis llithyia,  
Quæ grauidis uterum soluere diua soles.  
Hæc tibi serta Acmon patula suspendit ab orno,  
Præsens nitenti tu dea sis Crocali.  
Illa quidem lepores dum captat credulus Acmon,  
E Zephyri non est flamme faclaparens.

Sed tui,

*Sed tu, Diua, tamen non omnia nosse labores:  
Nam si infans non est hic meus, illa mea est.*

## AD CORINNAM.

**A**Vreus hymber ego latitantem nolo puellam  
Fallere: nec sim bos, nec fluvialis orlo.  
Hæc ludicra loui sint curæ: ego bina Corinnæ  
AEra dabo, nec erit cur volitare velim.

## EPITAPHIVM N. CRETGORIV.

**H**IC te Cretcoui, mors, & tua fata manebant,  
Dum tu omnes terras, & dum maria omnia circum  
Perlustras, nullo defessus membra labore.  
Te rapidus Ganges, gelidiq; Borysthenis unda,  
Te Tagus, & Rhenus, te ripa binominis Istri,  
Et septemgemini viderunt ostia Nili.  
Nunc concessisti magnum visurus Olympum,  
AEtherea q; domos: ubi dijs immistus inanes  
Et curas & spes hominum, lamenta q; rides.

## AD FAUSTVM.

**M**Orbus amor grauis est: ego quāuis nō amo, Faustie  
Sed quia amavi olim, nunc quoq; discutior.

## IN CYPASSIM.

**S**olam inuitauit, tu hircis comitata duobus  
Venisti ad cœnam, susca Cypassi, meam.

R 3

Quid

*Quid vestem obtendis? cœcas quid comprimis alas?  
Improba? sentit eos natus adesse meus.*

## IN IMAGINEM ANDR. DUDITII.

**Q**Vis te Duditi, nouus hic expressit Apelles?  
*Quæ te tam solers est imitata manus?*  
Cui probitas non est, aut cui tua cognita virtus,  
*Ex facie mores estimet ille tuos.*

## AD PETRVM.

**Q**Vi tribulos tantum agricolæ, lappasq; priori,  
*Et steriles herbas ferre solebat ager:*  
Hic tibi nunc Cererem plenis, Petre, fundit aristis,  
*Et tacite ignauos increpat agricolas.*  
Nam si rura vident, et iners torpecat arator,  
*Neglectus fruges non dabit ullus ager.*  
At si perpetuo vomer tibi splendeat usu,  
*Vix capient messes horrea lata tuas.*

## DE NEAERA.

**A**Cria cum dura fuerant mihi bella Neæra,  
*Nec pacem potui, fæderaué nulla pati.*  
Risit amor, teneramq; iubet lachrymare puellam.  
*At mihi pugnaces obstuپere manus.*  
Tum nostro vicitrix inecit brachia collo,  
*Per noctes vinclum detinuitq; duas.*

Nee

Nec mihi cessauit meritas infligere plagas,  
At quales plagas? cum subit, emorior.

## AD TOMAM.

**Q**UOD potis in nostro, quod sit mage carmine Tomia,  
Prædurum censes, illepidumq; vocas.  
Et quid agas mecum? nobis quoq; displicet ipsis,  
Sed mage molliculum condere tu potis es,

## IN HEDERAM.

**O**Hedera, obliqua vitem complexa choræa,  
Pessundas teneri dona nocens Bromij.  
Nec nos, sed perdis tete improba: tempora curet  
Quisquam cingi hedera, deficiente mero.

## AD FABVLLVM.

**T**Arde procedunt foricænia nostra, Fabulle,  
Quid mirum? cænat sàpè pòeta domi.

## AD PETRVM ROTZIVM.

**V**Ltime produxit Iberia docte Royzi,  
Eruditj Latium, Sarmatis ora fouet.  
Nec gens vlla adeò est à nobis dis̄ita, quò non  
Ingenij penetrat fama secunda tui.  
Ni prior hoc alter voluisset nomine dici,  
Mundanum ciuem dicere te poteram.

## EPITAPHIVM. ANDR. SELISLAVI.

**H**Vnc Selislaui tumulum posuere sodales,  
Defletusq; tulit dona suprema cinis.  
Vobis crudeles homicidae nemo sit olim,  
Qui donet lachrymas, iniiciatue solum.

## IN IMAGINEM SVAM.

**T**Alis eram, cum me lento torqueret amore  
Decantata meis Lydia carminib.  
Tidorem metui, cum vultum pingere vellet,  
Ne gemitus vna pingeret ille meos.

## AD NICOLAVM FIRLEV M.

**R**Edditus es nobis tandem optatissime Firleu,  
A populis rediens soffres Hypperboreis.  
Tecum prisca fides, & amans dea candida veri,  
Et pudor, & redijt non simulatus amor.  
Felices agri, domino gaudete recepto,  
Gaude vicini, tu quoque ripa, Vepri.

## IN VICTORIAM NICOPHONTIS.

**T**Auri profunda colla, humerosq; ferreos  
Atlantis, & comam Herculis, & barbam hispidā.  
Leonis aspectum trucem Milesii  
Gigantis, aspexit neq; ipse Iuppiter

Interi-

Interitus, cum victor euasit graui  
Cestu in corona Nicophon Olympia.

AD PHILIPPVM PADNEVIVM.

**C**Vmpax vigeret aurea,  
Ensemq; Mars reconditum  
Carpi sinebat improba  
AErugine, & pigro situ:  
Et nos, Philippe, Theiam  
Anacreontis ad lyram  
Non inuenusta lusimus  
Dictante Phœbo carmina.  
Nunc victa tympanis fides,  
Frementibusq; classicis  
Obmutuit prorsus, neque  
Vocem datura pristinam  
Videtur usq;, dum nouis  
Auctus triumphis hostico  
Augustus erigat solo  
Victor trophyum nobile.  
Hunc insidens, ô roscidis  
Aurora bigis, lucidum  
Adferre festina diem.  
Cum liber arcu Gnoſſio  
Plectrum resumat aureum,  
Fugamq; Moschi concinat  
Apollo Musarum decus.

## EPITAPHIVM N. CERASINI.

**H**oc te marmor habet cultorem iuris, & equi,  
Postquam oculos clausit mors, Cerasine, tuos.  
Iustitia, & pietas planixerunt pectora palmis,  
Et posuere sacram te moriente comam.

## IN IMAGINEM ANDR. PATRICII.

**V**T faciem hæc pictura tuam, Patrici, ora quæ reddit:  
Sic tu animum scriptis exprimis ipse tuis.  
Sed pictura situ, longoque abolebitur auo,  
AEterna ingenij sunt monumenta tui.

## IN DIVITEM SUPERBVM.

**M**ulta potest etiam præter spem vertere dæmon,  
Euchit ille humiles, deprivit ille duces.  
Et tuus hic in neruum erumpet denique fastus,  
Aurea nunc quamvis flumina possideas.  
Non humiles maluas, non iuncos turbo, sed altas  
Sternit humili quercus, sternit humili platanos.

## CONFESSIO.

**T**empus adest, omnes sua cum delicta fatentur,  
Et veniam superos supplice voce petunt.  
Nec mihi fas veterum ritus spreuisse parentum,  
Dicendum est, quicquid pectora cæca premunt.

Non.

Non didici impuri peruersum dogma Gnathonis,  
 Aiunt, aio : negant rursus, et ipse nego.  
 Sed que cum vero mihi consentire videntur,  
 Hac demum affirmo : sin minus, usq; nego.  
 Non opib. quenquam, neq; fuluo metior auro,  
 Sed quam quisq; probus, tam mihi charus erit.  
 Rem ratione mala nolim auclam, ferre superbos  
 Non possum, et tantum curo placere bonis.  
 Talia dicentem deus audiit, atq; ita satur,  
 Semper egebis : ita haec culpa pianda tibi est.

## IN NATALEM REGIVM.

**H**ic te, Auguste, dies materna excepit ab aluo,  
 Et lucis fecit participem aethere.  
 Ut cum accessisset primæ vigor ille iuuentæ,  
 Inuicta gereres regia sceptræ manu.  
 Et tibi seruiret, quicquid siccæ aspicit Arctos  
 Albim inter, pigras atq; Maeotis aquas.  
 Dij faciant, haec lux redeat tibi prospera semper,  
 Et venias clari serus in astra poli.

## AD NIC. RADIVILVM.

**L**ongum examen apum fugiens aluearia nota,  
 Sub larib. posuit cerea castra tuis.  
 Teq; suo testem gaudent adhibere labori,  
 Dum vacuis condunt mel, Radiuile, fauis.

*Haud equidem ratio temerè insita creditur illis,  
Nam virtuti ubi honor sit, meritisq; vident.*

## AD E N D E M.

**G**recia sopiti dum nectar in ore Periclis,  
*Congestosq; resert ambitiosa fauos.*  
Efficit ut tecus nobiscum habitare sub iisdem  
*Melliferas mirum non videatur apes.*  
Nos haec miramur: neque enim hic sonipesue, faberue  
*Visus habere alas, saxaue inire choros.*

## AD A V R E L I V M.

**S**eu tu Miscouij ad mensam coniuua recumbis,  
*Aureli, & digitis pocula plena tenes:*  
Seu satur expectas, dum vespertina reuertat  
*Promissa ad portans gaudia Demophila,*  
Salut: me aequales inter facunda bibentem  
*Pieris immemorem non sinit esse tui.*

## IN CORONAM.

**M**arcuit heu, subito mea florens illa corona,  
*Quam modo Parnassi vertice detuleram.*  
Marcuit, ingratum simul attigit inscia tempus:  
*Nunc me, Phœbe, tui, Pieridumq; pudet.*

## EPITHAPIUM STENELAI.

Inter

**I**Nter mille neces, & mille pericula Martis

Versanti assidue fors fuit aqua tibi.

Hanc tamen expertus, Stenelæ, es deniq<sup>z</sup> acerbam,

Cum nil, quam fuerant arma timenda minus.

At tibi si ponenda fuit per vulnera vita,

Ante aquilas malles quam cecidisse tuas.

AD IACOBVM GORSCIUM.

**H**VC etiam, campos quæ prospicit Ilfa feraces,

Ter rapidos amnes, Gorsci, perq<sup>z</sup>, inuia saxa

Nunclia factorum peruenit fama tuorum.

Nempe ut pro Cicerone micantia sumpseris arma,

In mediumq<sup>z</sup> audax processeris equor, ubi hostem,

Ipsò augente animos Cicerone fauenteq<sup>z</sup> cæptis,

Lucta multiplici, Romanq<sup>z</sup> arte palestræ,

Victor humi prostrasti, & palmam ritè tulisti:

Ille autem ingenti percussus corda dolore,

Ne toties vultum victoris & ora videret,

Tristis ad extremæ concessit flumina Vartæ.

Taurus uti pugna inferior, cornuq<sup>z</sup>, reuulso

Excedit campo tacitus, cæcasq<sup>z</sup> ferarum

Abdit se in latebras, victorem armenta sequuntur.

Macte animo, Gorsci, cælum tua gloria scandit,

Quantus enim Alcides domito Lu, yride, quantus

Tergemino custode Orci sumantis abacto,

Tantus tu Heluidio, simul & vigilante poëta

Virib. ingenij viciis, linguaq<sup>z</sup> diserta.

## AD PHOLOEN.

**A**D uitam reuocata Venus Titane perempta  
Cum fuerit, mihi te sistere pollicita es.  
Nec nostras, Pholoe, fallas oculissima speres,  
Nam sine te magna sum miser in rutuba.

## IN POSTHVM.

**H**oc pergracari est, inquis, cum Postume, potus:  
Per descari est notius, et patrium.

## AD EPISC. CRAC.

**N**ec tibi ego -sui eques, nec sum pedes, -nica præful,  
Quare in sit nostro nullus in ore pudor.  
Non modo si -lla à te deposcam præmia, sed si  
Sperem etiam, merito non patiente meo.  
At formica memor -venientis sedula brumæ  
Hinc astiuam, atq; hinc congerit -sq; penum.  
Nimirum exemplum mortalib. -vile præbens,  
Ut dum etas patitur, dumq; virent genua,  
Prouideant agra sedemq; cibumq; senectæ:  
Res est et misera, et turpis egere senem.  
Ignoscet igitur, si cùm prope frigidus annus  
Instet, sim certo de Lare sollicitus.  
Nec me per pelagus nantem cum mercib. aureis  
Dependent Euri, præcipitesue Noti:

Forti-

Fortiter innixus stiua patro boue terram  
 Versabo, et rastris sedulus arua colam.  
 Quod si lata Ceres cultos vespauerit agros,  
 Nec spes vota audi luserit agricola:  
 Non mihi displiceat Phœbea resumere plectra,  
 Carmenq; agricolis concinuisse dijs.  
 At tibi si villa mei sese memor offeret hora,  
 Hac me contentum vivere sorte scies.

## AD PETRVM RORZIVM.

**Q**Uæ hæc est inuidia, ô Phæbo dilecte Royzy,  
 Ut, cum Socraticis sermonib. et sale multo  
 Me respersisse primum, spumantib. idem  
 Mox pateris, plenoq; incutum immerseris auro:  
 Aurea ut illa quidem tua dicta, omnesq; lepores  
 Excident mi animo, neq; quicquam præter lacho  
 Plena domum attulerim, et somno nutantia membra.

## AD S V L P I T I V M.

**Q**uid persequi est necesse tot laudes tuas?  
 Orator ipse es, et ministrum, sit nisi  
 Scriba aut poëta, Sulpiti, nullum fones.

## AD D I O D O R V M.

**D**ormis, ô Diodore: atqui scyphus ipse vocat te,  
 Euigila, vitam seminecemq; fuge.  
 Nemis.

Ne mihi parcus ames dici, sed mersus Iaccho  
 Ad genua usq; merum non bene firma bibe.  
 Longum instat tempus, cum vino erit usq; carendum,  
 Tolle moras: variat cana senecta comam.

## AD IBYCUM.

**H**E RI, (nisi illud somnium  
 Credam fuisse) heri Ibyce  
 Inter bibendum dixeras:  
 Cras, lane mellitus, volo  
 Cœnes apud me: assentior  
 Tibi, culinæq; interim  
 Indico, & ollis ferias.  
 Nunc, ô scelestæ, nunc meas  
 Acerbus aures nunctius,  
 Ventremq; adeò ipsum perculit.  
 Frigere nimirum focum,  
 Cœnae q; nullam spem dari,  
 Conuiuij oblitio patre.  
 Memorem, inquit, odi combibam,  
 Sermo vetustus: certè ego  
 Obluiosum odi magis.

## AD MUSAS.

**V**Est ego, ô vester, nemorosi Heliconis alumna,  
 Transfuga me assuetis sistere quæro choris.  
Quem

Quem non conspicui spes ambitiosa galeri,  
 Maiorumque famas vlla momordit opum.  
 Ut cuperem auelli nobis, ea præmia quærens,  
 Quæ stolidum vulgus sola sequenda putat.  
 Sed me Myscouij tulit arcta compede virtus,  
 Et longè nostris maior amor meritis.  
 Duxerim ut esse nefas, curis dum carpitur ille,  
 Otia me interea dulcia velle sequi.  
 Spero equidem fore, ut optatum tandem ille laborum  
 Finemq; inueniat, præmiaq; ampla ferat.  
 Me quoq; tum sacris abreptum condite lucis,  
 Vestra ante ora, Deæ, viuere, amemq; mori.

## IN AMOREM.

**M**eigni, me niuib; me si ipso fulmine mavis  
 Obrue, me in scopulos, vada cœcaraope.  
 Nam cura assidua, t longo duratus amore  
 Non videor laedi posse neq; igne iouis.

## EPITHAPHIVM TOMÆ.

**H**IC, Toma infelix, post ultima fata quiescis,  
 Cuius in augenda re labor omnis erat.  
 Quid tibi nunc misero congesta pecunia prodest?  
 Fures aurum, animam di rapuere tuam.

## IN CVLICEM.

T

QVID

**Q**uid mihi, parue culex, immitti saucio amore  
 Tristis ad ingratus occinis auriculas?  
 Ad Pholoén potius querulos conuerte susurros,  
 Atq; hæc oblita blandus in aure cane.  
 Janus te, o Pholoé, manet: at tu ferrea dormis,  
 Et iuuenem lenta conficis usq; mora.  
**Q**uod si forte tuo surrexerit excita cantu,  
 Atq; in complexus venerit illa meos:  
 Vergiliana, culex, tibi præmia scito parata,  
 Ut nunquam in chartis emoriare meis.

## IN AVLV M.

**T**ollis in astra meos versus, certareq; priscis  
 Indicio videor vatibus, Aule, tuo.  
 Tollis in astra dapes: & quo tibi nomine multum  
 Debemus, vel non, Aule, vocatus ades.  
 Candidus, Aule, vires: sed candidus hoc quoq; fare:  
 Musa tibi sapiat, an mea cæna magis.

## IN IMAGINEM FRANC. MASLOVII.

**E**xiguam, Francisce, tui suauissime partem  
 Scita licet nobis ista tabella refert.  
 Agnosco faciem, veroq; in imagine vultus,  
 Doctrinam, & summum non video ingenium.

## AD ANDR. DUDITIV M.

Quod

**Q**uod superos nunquam cælestia templa colentes  
Ausus fuissē poscere.

*Id nunc oblatum est vltro mihi sorte benigna,*  
*Duditi amicorum optime.*

*Vt te tot spacia emensum terræq; marisq;*  
*Hoc vltimo orbis angulo*

*Conspicer: indomitus gelido quæ spirat ab axe*  
*Raptor Pelasgæ virginis.*

*Sed velut inter aquas sitit, & pomæ esurit inter*  
*Damnatus Orco Tantalus:*

*Sic neque ego possum, quamuis ita proximus ad sis,*  
*Tuo frui dulcissimo*

*Conuictu: nam me ( magnis si æquare pusilla*  
*Fas est ) Vlyssem ut quempiam*

*Excæpere proci vénientem ex orbe remoto:*  
*Qui, quantum in ipsis est quidem,*

*Euergam cupiunt rem nostram: ni vigilem, & ni*  
*Vt cumq; me arcu patrio*

*Defendam, vates Musis sacer, & mage paci*  
*Assuetus: Interim tamen,*

*Vt parte ex aliqua, Duditi candide, & ipse*  
*Tuos quoq; emuler sales:*

*Qui nos cœnantes tecum, tecum esse negabas,*  
*Sed quo vocati in posterum*

*Essemus solem: tua vt inquam, nupera pense*  
*AEnigmatis anigmata:*

Mitto tibi me ipsum: non quem nunc cura; laborq;  
Noctes diesq; conficit.

Sed quem tu aspexti nuper nardoq; fluentem,  
Dulciq; amore saucium.

Vtrum horum mavis? utrumq; ais: hunc age, primum  
Euolue, dum alter aduolat.

#### AD LECTOREM.

**S**I quid in hoc, lector, deprendes forte libello  
Naturam tituli non redolere sui:  
Non haec culpa mea est, qui nullo segnior adsum.  
Ad cœnam si quis me sibi forte vocet.  
Sed magis accusandi ij sunt, qui sàpè vocari  
Quarentem medio præteriere fôro.

Nam cœnare domi, et foricænia scribere, tantum est,  
Ac si ad aquæ cyathos, ebria verba sones.

#### AD LESBIAM.

**Q**uo pater affec̄tu natos, dulcesq; propinquos  
Prosequitur, sic tu, Lesbia, amata mihi es.  
Nunc te odi rabido peius cane, peius et angue,  
Sumq; adeò osurus, dum mihi vita manet.  
Quod non tam levitate mea est, ut tu improba reris,  
Quam vitiis factum, perfidiaq; tua.  
Nec me id more putas aliorum dicere amantum,  
Qui, quo plus iurgant, hoc magis anxie an. ant.

De do-

Dedolui tacitus lachrymarumq; hymbre perhenni  
 Effluxit sensim non redditurus amor.  
 Restibi habe ergo tuas, & abi, quo digna, & valeq;  
 Longum, immo aeternum: vota ego soluo djs.

## EPITHAPHIVM MARONIDIS.

**V**ini pernicies iacet hic annosa Maronis,  
 Summa super cuius stat monumenta calix.  
 Non illa aut natos sub terra, in opemue maritum,  
 Sed vacuum infelix flet super ossa scyphum.

## AD NAEVOLVM.

**S**cibere me semper soricænia, Nævole, cogis,  
 Inuitas nunquam: sic domicænia erunt.

## AD BUCANANVM.

**S**oluisti cura, & longo, Bucanane, labore  
 Omnes qui tuatum nomen habere student,  
 Ne incassum certent Solymæi carmina regis  
 Aptare ad Latiaæ fila canora lyrae:  
 Nam quicumq; opus hoc aggressi at: quando fuerunt,  
 Tanto interuallo, tu Bucanane, præis  
 Omnibus, ut veniens atas quoq; non videatur  
 Ereptura tuis hoc decus e manibus.

## AD TORQVARTVM.

T 3

Tun'

**T**Vn' hilares inter solus, Torquate recumbes  
 Mæstus, et ipse tuum cor taciturnus edes?  
 Tun' fugies solus certamen dulce Lyæi?  
 Solus Apollinean non capiere lyra?  
 Fallor? an ingratæ succurrunt facta pueræ?  
 Et tibi non æquis pectora mordet Amor?  
 Noli dissimulare: Venus me non sine plagis  
 Perdocuit, ne sim vestro in amore rudis.  
 Nec deprendendi tantum (modo consule) morbi,  
 Sed curandi etiam credo me habere modum.  
 Optandum, aut nunquam incipere, aut desistere nunquā.  
 Est mel, cum incipimus: fel, ubi desinimus.

## DE PHILENIDE.

**P**Etrarcham wates Nasica Philenide coram  
 Laudabat: Dantem malo, Philenis ait.

## AD GALLAM.

**D**VM regnat Bacchus, Baccho dum pulchra Dione,  
 Atq; ultrò volucr se comitem addit Amor.  
 Dum fidium cantus, et tibia personat aures,  
 Tuq; videre oculis, Galla, venustameis.  
 Quam potes errorem hunc auge, neq; tetrica sertis  
 Ornari, aut cythara tangere filia fuge.  
 Cras, mihi crede, dies eadem iam non erit: et tu  
 Longè alia: immò et heri non ea visa mihi es.

JN VI L-

L I B E L L U S.

151

JN VILLAM DABROVITIAM.

**M** Armorcum superans limen, genium loci adora,  
O Hōspes, domus hāc Firlaos iactat alumnos:  
Egregias quorum laudes, & fortia facta,  
Si taceant ciues, vltro ipse fatebitur hostis.

EPIGRAPHVM ERASMI CROCEVII.

**C** Roceui, ne desperes, circumdatus atra  
Nocte licet clarum non tueare diem.  
Nam veluti somnus vigiles intercipit horas,  
Rursus & hora vigil somno abeunte redit:  
Sic vitam interitus manet, interitumq; vicissim  
Consequitur certo tempore vita noua.

AD HELIODORVM.

**H** Eliodore, fides effet si incerta palati,  
Et falli sensus posse aliquando putem.  
Qua tu vina vocas, latices ego dicere fontis  
Ausim, quem volucris pes patefecit equi,  
Olim summo Helicone: ita Musis ebrius a te  
Discedo semper, carminibusq; tumens.

AD PETRVM ROTZIVM.

**S** Pica datur Cereri, pulchro datur tua Lyeo,  
Florib. ornatur Chloris & ipsa suis.

Hoc pa-

## EPIGRAMMATVM

Hoc pacto neq; ego videor peccare, Royzi,  
Qui, quamuis vati, carmina dono tibi.

AD NIC. FIRLEVM.

**A**D cœnam inuitas me, Firleu : deinde sopori  
Te das : hæc dubia est cœna procul dubio.

IN VENEREM NATANTEM.

**H**IC age dilectam, tibi contemplare Cytheram,  
O Mars, dum puris nudalauatur aquis.  
Aspice, ne horrescas : non virginitas ora Minerua  
Cernis, uti quondam Tyresia acciderat.

AD PETRVM.

**N**Ugæ profecto sunt meræ,  
Meræq; Petre, fabulæ,  
Quæ deuolueris fonte equi  
Vates vetusti garriunt.  
Vinum est, poëtas quod facit,  
Et blanda dictat carmina :  
Aquam bibentibus nihil  
Insigne Musa subiicit.  
Horum locuples, ô Petre  
Testis vel ipse sim tibi :  
Qui sobrius possim nihil,  
Nisi immerentem dentibus

Cuncta-

Cunctator unguem rodere.  
 Sed paulo ubi plus adhibi,  
 Animusq; concaluit mero,  
 Statim moueris entio  
 Praecordiis in intimis  
 Innumera versuum agmina  
 Erumpere gestientia.  
 Quibus data est postquam via,  
 Ruunt gregatim, more apum,  
 Hyberna quas post frigora  
 Amicta prata floribus,  
 Et veris inuitat tepor.

## AD STAN. FOGELEDRIVM.

**H**oc unum cures, quo pacto transiere eum  
 Ex animi voto, Stancesilae, quæas.  
**N**am quod mortem atram, & supremos mortis honores  
 Attinet, id curæ Pieris unice habet.  
**I**nuitis quæ te Parcis vel funere raptum  
 Ex ipso, caliper spatiæ ampla feret.

## ORACVLVM.

**I**ane, sacerdotem Musarum te esse memento,  
 Nec tibi præterea fas ullos querere diuos,  
 Quorum sacra colas: bifiidi spem pone galeri,  
 Nam Sophia addicetus studiis, paruoq; beatus.  
 Ut nec habebis opes, ita nec curabis habere.

## E Q V I G L I N C O N I S E P I T A P H I V M.

**H**oc tibi ephippion, hasphaleras pulcherrime Glincon,  
Et fræna infelix hæc tibi donat herus  
Fixa super tumulum: ne quando ignobilis hæres  
Tam præstantis equi gaudet exuuijs.

## A D P E T R V M M R S C O V I V M.

**N**on solum in nudis scribam tua nomina chartis,  
Pectore sculpta meo sunt benefacta tua.  
Quæ mihi, Myscoui, nulla unquam aboleuerit etas,  
Sive fruar vita, sive fuisse ferar.

## D E P H I L A E N I D E.

**D**ira lues calicum morbo correpta Philenis  
Hac compellauit languida voce louem.  
Si fugio febrem, centum tibi sobria soles,  
Iuppiter, è fluvio prætereunte bibam.  
Vini omnino expers: ut vero peste leuata est,  
Illa ipsa imposuit perfida luce Ioui.  
Namq; manu cibrum tollens, per tenuia texta  
Innumerous soles callida vidit anus.

## I N P O N T E M V A R S O V I E N.

**N**one goferre Scytham dominum, possimue superbum  
Thraca, nec immisis qui mare calcat equis.

Vnise

*Vni se Augusto frānandum Vistula præbet,  
Qui populos æquo temperat imperio.*

## AD ALB. LASCV M.

**L**Asce, parūm lautos non deditate penates,  
Exiguumq; horti pauperioris olus:  
Cūm vir magnanimus, fortunaq; altior ipsa,  
Consilio promptus, cumq; ferere manu,  
Virtutem in tenui re non spreuisse, vel una hac  
Laude per omne ævum suspiciendus eris.

## AD VECTIV M.

**Q**Vis te inuitauit, Vecti? venio umbra Philippi.  
Rectè est, umbrae igitur pro dape nidor erit.

## EPITAPHIV M. NAVTRÆ.

**N**AUT& sum tumulus: tu linteæ tende: secabant  
Me percunte aliæ dorsa marina rates.

## AD LABERIV M.

**N**Il nisi quod verū est, Laberi, loquor: omnia Calchas  
Mentitur: nobis non datur ull'a fides.  
Calchanti datur: error hic est, annē ira deorum,  
Dicitu non facile est: sed tamen ira deūm est.  
Sic, cūm offendisset Phæbum Priameia virgo,  
Vera loquens nunquam credita vera loqui est.  
Et mihi, quod mūsas asininis aurib. amens  
Exposui, iratos suspicor esse deos.

**G**Ornicio veniente meo, lyra pollice nullo  
Icta dedit dulces exhilarata sonos.  
Riserunt Charites, doctæ cecinere sorores,  
Quin & ver redit, canaq; fugit hyems.

## EPITHAPHIVM NICETÆ.

**Q**Vid me fluctuago sepelitis littore nautam,  
A pelago longe qui remouendus eram?  
Horresco fremitum ponti, mea sata: sed & sic  
Grates, Nicetam qui misereris, habe.

## AD ANDR. TRICESIVM.

**A**Vrea, Tricesi, tua carmina diuitiores  
Auro pensabunt, muneribusq; datis.  
Nos, quibus arcta domi res est, & curta supellex,  
Pro tereti versu carmina culta damus.  
Inferiora tuis equidem: neq; enim anser olori,  
Aut par lusciniæ garrula hyrundo canit.

## GRIPHV S.

**F**OEmina natura est, gremio sua pignora seruat:  
Quæ quanquā sint muta, tamen trans æquora vocē,  
Transq; omnes terras mittunt, sed percipiendam  
Eis tantum, quos ipsa finunt: nil proximus audit.

GRIPHS.

L I B E L L V S.

157

G R I P H V S.

**M**ortalis non est, immortalis quoq; non est,  
Sed mixta quadam natura præditus: ut nec  
Dici hominum posse, nec vitam vivere diuum.  
Nascitur aſidue, atq; alternis occidit: idem  
Nulli unquam viſus, notus tamen omnib. extat.

G R I P H V S.

**Q**vicquid alit tellus, quicquid vastum educat aequor  
Nil nec homo ipse, auctu ſimili crenitū, peritū:  
Nascitur immani cum corpore, deinde vigore  
In ſummo exiles mirè tenuatur in artus.  
In ſenio erigitur rurſum, corpusq; propagat.

G R I P H V S.

**D**omi latentem dum paramus hospitem  
Protraxe in horas aetheris, quis crederet?  
Domus repente fugit, hospes captus est.

G R I P H V S.

**E**Thanc mihi, Aule, frange, ſi potes, nucem:  
Docemus omnes, nemo nouit, quod docet.

EPIGRAPH. PHIL. PADNEVII.

**E**gregia in patriam merita, ſpectataq; virtus  
Padneui, ad ſummum te decus extulerant,

V s

Ausa

*Ausa nec infelix oculos attollere contrà est,  
Splendore icla tui nominis, inuidia.*

## ALIVD.

**P**Adneui, vRNA tuo satis hæc pro corpore magna est,  
*Virtus Mausolea suprà est, omnesq; Colosso.*

## AD VRBICVM.

**V**Rbice, viue tibi, tibi ducunt stamina Parcae,  
*Absumptaq; super non potes esse colo.*  
Qui matutinus locupletum limina visit,  
Consultaturos qui comitatur heros,  
Qui sibi nil impertit, et hæredi omnia seruat,  
Ille alius viuit, tu Vrbice viue tibi.

## IN AQUILAM.

**A**Vgurii mater, volucrum regina vagarum,  
Corde enata tuo quid spöndent lilia? spöndent  
Sarmatiam Henrico florentem regi futuram.

## AD HENR. VALESINV M REGEM CRACOVIA M VENIENTEM.

**V**Rbs effusa omnis dum te, rex magne, salutat,  
Dum plebs, dum patres, dum tibi plaudit eques,  
Spectaco delectatus per inane volantes  
Igneus auricomos Sol inhibebat equos:  
Nox non passa moram puro se effudit Olympo,  
Vt te mille oculis ipsa quoq; aspiceret.

## AD P-

## AD PETRVM COSTCAM.

**D**Vm finis affari, nec adhuc mihi Episcopus audis,  
Descende in versus, Petre diserte meos.  
Non accepturus, potius famam ipse daturus:  
Ebria amore sui nostra Thaleia licet  
Magnifice sese iactet, numeroq; deorum  
Posse putet meritos inseruisse viros.  
An, quod Praxiteles Iouis extuderit simulachrum?  
Clarior idcirco Iuppiter astra colit?  
Ac non, quod vultus imitari sit Iouis ausus  
Praxiteles, potius clarus in orbe viget?

## AD IO. FIRLEM.

**H**O ego versiculos feci, sed sub Ioue, Firleu,  
Si frigent, non plus ipse poëta calet.

## AD ATTALVM.

**S**I cerui atatem, cornicisue, Attale, viuis,  
Nil peccas, auro dum sine fine studes.  
Sin homo natura es, cui contigit arctius euum,  
Oestro immensarum ne stimuleris opum.  
Ne medios inter succumbas forte labores,  
Inq; tuis alij luxurient opibus.

## AD CROCALIM.

V 4.

Dulces.

**D**Ulces sunt fucus: pyra dulcia, dulcia poma,  
 Mel dulce, dulce est saccharum,  
 Suavis odoratu ros est maris, & rosa suavis,  
 Suavisq[ue] opobalsami halitus.  
 Nec pyra, nec fucus, nec sunt tam dulcia poma,  
 Nec saccharum, aut mellis liquor,  
 Nec rosa odoratu est tam suavis, rosae marinus,  
 Fragransq[ue] anima opobalsami:  
 Quam tua dulcia sunt, Crocali, rosea ista labella,  
 Quam suave suavium est tuum.

## AD NIC. GELASINVM.

**V**NUS pro sociis, Gelasine, videris amare  
 Omnibus, & nostras omnium obire vices.  
 Singula namq[ue] aliis nascentur pignora, te vixor  
 Exhilarat geminis: bis, Gelasine, vir es.

## EPIT. I. GREBSII.

**G**Recum te, an dicam, Grebsi facunde, Latinum,  
 Ambigo: sermo ita erat notus vterq[ue] tibi.  
 At tu Sarmata eras, sed cuius ob os sua Graij  
 Ora obuertebant, Ansonijq[ue] sua.

## IN LINVM.

**N**on quod sis meritus, frustra vanissime turges;  
 Fortuna excelsa te locat in solio:

Sed

*Sed quòd mortales monitos cupit, omnia se tñam  
Posse: etiam vt numero tu, Line sis aliquo.*

*IN HOMERVM.*

**A** Tra prius cælum extinguet, prius, ordine rerum  
Inuerso, noctem Sol illustrabit opacam,  
Et prius immensi dulcescent æquora ponti,  
Mortuaq; è tumulis in dias luminis oras  
Corpora prorepcntr rursum, quam nomen Homeri,  
Partaq; diuinis moriatur gloria scriptis.

*IN LAERTEM.*

**S** Axa domat tempus, neque ferro parcere nouit.  
Sed tacita labens omnia falce metit.  
Laertæ hoc veluti fanum, quod, littore summo  
Hybernis positum fluctib. atteritur.  
Herois nomen semper viret: aurea namq;  
Munera Musarum nulla senecla terit.

*AD JOVEM PROBOVE.*

**I**T se tuam supplex astans bos mugit ad aram,  
Præsentemq; horret, Iuppiter alte, necem.  
Subduc agricolam cædi, o Saturnie, nam, cùm  
Europam ferres, tu quoq; taurus eras.

*AD ADRIANVM.*

**Q** V id condicta sit, Adriane, cæna  
In libris veterum rogas subinde:

*Hoc vs*

*Hoc ut percipias, et assequare,  
Cras cœnare volo, Adriane, apud te.*

## FIN LAGENAM.

**P**Otorum in rixa fracta es, pisæa lagena,  
Fluxitq; excussus ventre tuo Bromius.  
Nam saxum, veluti fulmen, te de supericit,  
Non Iouis è manibus, sed Iouii adueniens.  
Te percussa ingens risus, dicteriaq; orta,  
Et iuuenes casu profiliuere nouo.  
Haud te flere libet : siquidem fors matris lacchi  
Hæc eadem Semeles, hæc eademq; tua est.

## DE LYCOPHRONE MEDICO.

**I**Liados medicus legeret cum forte Lycophron  
Principium, et scriptum sic reperisset ibi.  
Multas insignes animas demisit ad Orcum:  
Hui, etiam ne, inquit, mittere ad Orcum animas  
Laus est? at qui ego sum is, videar qui æquandus Achilli:  
Nam quot ego eximias ad Styga misi animas?

## STAN. HOSII CARDINALIS MANIBVS.

**S**I fas cuiquam esset vitare Acherusia templa,  
Et Stygio nunquam velificare lacu:  
Paucos inter, Hos, qui sint hoc munere digni,  
Ipse vel in primis annumerandus eras.

Cuius

Cuius quando parem pietas habitura? fidesq; est,  
 Tuta dæq; ardens relligionis Amor?  
 Occidit exemplar morum, & virtutis imago,  
 Diuini interij fons sacer eloquij.  
 Scripta per hennabunt: ope quorum tu quoq; magne  
 Omnia victurus secla videris Hosti.

## SENTENTIA EPICVRI.

**Q**uod est beatum, sempiternumq;, id neq;  
 Sibi, neq; alteri exhibit negotium.

## DE HERMOGENE.

**B**ubo mortiferum carmen canit: ast ubi cœpit  
 Cantare Hermogenes, bubo agit ipse animam.

## EPITAPH. PYNTHAGORÆ.

**S**alue ô Pythagora: sed tu delatus ad Orcum  
 Nemaris accusèst aquora, sed Boream.  
**N**amq; is te domuit: pelagi autem mitior vnda  
 Telluri & bustis restituit patriis.

## IN COLVMNAM.

**N**on Niobe amissis hic adsto saxe anatis:  
 Quanquam amissa etiam pignora testor ego.  
**N**atis me statuit monumentum flebile raptis  
 Vates mærenti corde Cochonouius.

Cui,

Cui, quod sum sensus expers, omnisq; doloris  
Nescia fortuna est inuidiosa mea.

## IN EANDEM.

**O**Mnia producit tellus, rursumq; recondit,  
Illa parens rerum est, illa & commune sepulchrum.  
Arcus, Pyramidesq; ruunt, magniq; colossi  
Et monumenta suis succedunt vicia sepulchris.  
Quosq; dijs nunc fama hominum immortalib. aquat,  
Ignorabuntur paulo post: luxq; hodiernum  
Cras oritura diem premet, inuoluetq; tenebris.

## IN CÆSAREM.

**I**Am regale potens gestat diadema Bathorreus,  
Tu magne Cæsar, (da veniam) cessator es.  
Vnus homo tantum cunctando restituit rem,  
Mora ceteris ferè omnibus damno fuit.


## AD ANDR. PATRICIVM.

**C**Oenabo, Patrici diserte, apud te,  
Sed cœnam volo non Catullianam,  
Cuius lex datur hæc ibi Fabullo,  
Ut secum adferat id, quod est lubenter.  
At tu scito me a symbolum venire,  
Atq; ex parte mea ad tuam culinam  
Vnas ferre modo esuriones.

F I N I S.



650/2



✓

Oprawa wykonał(@)

Henryk Świechowski

Wrocław, data 27.5.1989

